162
I.
2.
BIBL.NAZ.NAPOLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
162
I
2
NAPOLI

Digitized by Google

ENARRATIO

PSEUDO-ATHANASIANA

IN SYMBOLUM

ANTE HAC INEDITA.

ET VIGILII TAPSITANI DE TRINITATE
AD THEOPHILUM LIBER VI.


Nunc primum genuinus, atque aſſumentis carens prolatus
ex vetuſtiſſimo codice Ampliſſimi
Capituli Veronenſis,

OPERA ET STUDIO

JOSEPHI BLANCHINI

CANONICI BIBLIOTHECARII.

*Accedit SYMBOLUM NICAENUM, tum SYMMACHI
PAPAE Vita ex vetuſtiſſimis membranis nunc integre
in lucem emiſſa.*



VERONAE, MDCCXXXII.
Ex Typographia Petri Antonii Berni Bibliopolae.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Eminentiſſ. ac Reverendiſſ. Principi Domino Cardinali

ANGELO MARIAE QUIRINO

BRIXIAE EPISCOPO, AC S.R.E. BIBLIOTHECARIO.

JOSEPH BLANCHINUS CANONICUS VERONENSIS

FELICITATEM.

S*Iſtunt ſe Tibi*, EMINENTISSIME PRINCEPS, *nonnullae ſacrorum monumentorum reliquiae temporum edacitati, ac tineis blattiſque praereptae; nec quominus ſe Tibi conſecrent tenuitate ſua deterrentur, aut alterius cujuſquam auſpiciis, quam Tuis, volunt in lucem atque conſpectum venire; non ſolum ut Tuum, quod optant unice, exorent patrocinium, ſed ut ſuam in primis a Te omnigena*

eruditione referto ſententiam, atque verendum, cui refragabitur nemo, judicium accipiant. Ecquis enim poterit rectius atque ſapientius definire, jure ne an injuria in Diſſertationis exordio Antiquarii inſcriptionem reſpuendam eſſe putaverim, atque hanc anecdotam in Apoſtolorum Symbolum Enarrationem ex Veronenſi Canonicorum Bibliotheca nunc primum prolatam, Magno illi Athanaſio Alexandrino Epiſcopo abjudicaverim, quam Tu, CARDINALIS AMPLISSIME, *quem Graecae linguae peritiſſimum una vox omnium eruditorum teſtatur; ac felix Corcyra nuper experta eſt, cum ibidem, dum ante Archipraeſulem Vincentium Mariam Mazzoleni conſanguineum meum Eccleſiae clavum teneres, indociles Graecorum animos, qui deceſſorum juſſis parere nondum didicerant, ita deliniſti, ut Sacra Congregatio Concilii die 22. Martii an. 1727. ad Te ſcribens teſtata ſit*: Graecos amore atque obſequio ſic Tibi obſtrinxiſſe, ut id publicis etiam monumentis mandare poſterorum memoriae conſilium coeperint. *Igitur potiori jure Tibi prae caeteris inſcribendum eſſe decrevi hoc qualecumque munuſculum, quod Tuo nomini commendatur, praeſidioque committitur; ut illud ad deditiſſimi animi non vulgare teſtimonium benignus accipias; praeſertim cum agatur de Fide, cujus ſecundum Deum conſervator es maximus, quamque ut Eccleſiae cardo ad internecionem uſque jam inde a die 26. Novembris an. 1727. Te propugnaturum juraſti, quo primum tempore tinctam Agni ſanguine Purpuram induiſti. Et profecto quid convenientius offerri poterat Apoſtolico viro, quam illa credendi regula, quam ipſimet Apoſtoli Divino*

af-

afflante Spiritu, atque unanimi plane conſenſu, antequam ad univerſas orbis terrae partes proficiſcerentur ad praedicandum Evangelium omni creaturae, nobis oretenus traditam reliquerunt? Quid vero utilius magiſque acceptum EMINENTISSIMO PRINCIPI, *quam earum quoque rerum editio, quae haereticorum calumnias detegunt, errores eliminant, Religionem tuentur, ac traditioni maxime favent? Quemadmodum ergo in primaeva Chriſtianorum Eccleſia militiae Sacramentum (quo nomine Symbolum venit apud Ambroſium) pro teſſera hoſpitalitatis habebatur; ac turpe erat & irreligioſum eos qui illud adamuſſim ex tabulis cordis carnalibus protuliſſent, non hoſpitii jure donare; ſic ego Majorum noſtrorum mores atque diſciplinam aemulatus do Symbolum*, CARDINALIS AMPLISSIME; *ut me laboreſque meos, velut advenam & peregrinum benigno vultu ſuſcipias, quod clementiam Tuam ex animo precor, ac etiam atque etiam rogo. Hic autem ſi Te fructus mundanae gloriae delectaret, memoria libenter recolerem egregia facinora Majorum Tuorum, qui de Republica benemerendo immortale nomen adepti ſunt. Non eſt enim neceſſe me foris peregreque Tuarum laudum praecones quaeritare, cum domi habeas ſatis amplam virorum copiam, qui terra marique inſignes evaſere, quique Rempublicam ſapienter atque ſuaviter omni tempore adminiſtrarunt.*

Quoniam vero nulla major poteſt eſſe Tua laus, CARDINALIS AMPLISSIME, *quam Te ipſum Tuis potius, quam ab Avorum ſerie mutuatis coloribus repraeſentare, liceat mihi impraeſentiarum eam dicendi*

ſcribendique facultatem, quam in Te nemo ſine admiratione unquam proſecutus eſt, ſaltem leviter adumbrare. Quod ſi aliis probabitur, Te quoque cenſorem mihi aequiorem futurum eſſe polliceor; licet ab aucupandis encomiis adeo ſis animo alienus, ut comitatem, humanitatem, atque ineffabilem benignitatis gratiam, qua ad gloriae cumulum ſemper vultus renidet Tuus, oblivíſci quodammodo videaris; cum aliquis non perinde atque ego qui ab omni ſum eloquentiae praeſidio imparatus, ſed vel diſſertiſſimus laudator de Te, Tuiſque virtutibus ſit verba facturus. At nativis cum lineamentis quis pennicillo exprimat ſuo acrem ingenii Tui vim, quam Florentiae exacto Monaſtico tirocinio, ac feliciter emenſo Philoſophiae Theologiaeque curriculo prodidiſti, cum eo tempore aliis quoque gravibus ſtudiis intentus, Eccleſiaſticae praeſertim Hiſtoriae, Graecaeque & Hebraicae linguae, ſupra aetatem adeo profeceris, ut mox Sacrae Theologiae Lector renuntiatus eam Divinarum rerum ſcientiam per octennium una cum Sacris Canonibus edocueris, atque Sanctarum Scripturarnm oracula magna cum laude fueris interpretatus, ſicut edita typis Oratio Caeſenae an. 1705, *a Te publice recitata*, de Moſaicae Hiſtoriae praeſtantia *id omnibus abunde teſtatur, de qua Diarium Literatorum Italiae To. 30. pag. 56. magna cum Auctoris commendatione locutum eſſe cognovi. Sed majora in Tui admirationem me volentem nolentem trahunt; ac praeſertim tam ordinate contexta immenſi Operis tela, quam* 1717. *ſub auſpiciis P. O. M. Clementis XI.* in Diſſertatione de Monaſtica Italiae Hiſtoria conſcribenda *univerſae eruditorum Reipu-*

bli-

blicae repraeſentaſti. Equidem dum illam evolverem atque avide lectitarem, tanta animi voluptate affectus ſum, ut non tam Tibi, quam Caſinenſi coetui in Patavinis Comitiis congregato menſe Aprilis an. 1714. *ſim intime gratulatus, cum ipſe non ſine Divino conſilio bujuſmodi provinciam adeo difficilem atque laborioſam Tibi unice commendarit. Clariſſimus Mabillonius, de quo omnis loquetur aetas, quemque Franciſcus Blanchinus Patruus meus amantiſſimus, dum in vivis ageret, coluit ſemper atque ſuſpexit tamquam caeleſtem in terris virum, Gallicanis Benedictinorum Annalibus deſcribendis egregie deſudavit; iique a Patribus in decreto fuerunt Tibi propoſiti veluti exemplar quod aequares. Et profecto cum Tu per duos & amplius annos arctiſſima Sangermanenſium conſuetudine Pariſiis fruereris, Hiſtoriae Italiae ordinandae adeo illis idoneum Te probaſti, ut tantorum etiam virorum auctoritas poſtmodum in cauſſa fuerit, ut Caſinenſes Patres, non alium praeter Te unum deligerent, atque Hiſtoriographum renuntiarent. Id oneris quaſi fatidicus an.* 1710. *Tibi imponendum fore praeſenſeras, cum per annos quattuor Germaniam, Bataviam, Belgium, Galliamque luſtraſti, ac poſtmodum in Italiam redux, Romam Hiſtoriographi Tui Ordinis munere inſignitus adiiſti; poſt annum vero inde digrediens celebriora Archiva, videlicet Caſinenſe, Cavenſe, Pharphenſe ac Sublacenſe viſitaſti, ex quibus monumentorum ſegetem licuit Tibi decerpere, atque manipulos coacervare. Praeterea egregie etiam in* Orthodoxorum veteris Graeciae Officiorum *editionem incubuiſti, ut cuique palam ſit ex primo illius Operis*

Tomo

Tomo publici juris facto an. 1722. *quem cum doctiſſimi Cardinalis Ptolemaei auctoritate praeeunte ſatis amplis commendationibus praeſtantiores Urbis Theologi proſecuti ſint, hic ego tantorum virorum encomiis ſi quid adderem, velut anſer inter argutos olores jure merito recenſerer. Quamobrem de Tuo hoc eruditae Antiquitatis fetu a pluribus dicendis ſuperſedeo, ac ad caetera ingenii Tui praeclara monumenta veluti per tranſennam ſtrictim inſpicienda convertam oculos, ne Epiſtolii leges praetergreſſus fuiſſe videar, neve Tibi faſtidium creem. Et hic ſtatim occurrit liber cui titulus:* Primordia Corcyrae ex antiquiſſimis monumentis illuſtrata, ac ex Typographia Civitatis Licii penes Mazzei an. 1725. in lucem edita, *de quo pro meritis locutae ſunt recenſiones Litterariae jam laudatae Tomo* 37. *pag.* 451. *Huic Operi animum adjeciſti ſtatim ac Sanctiſſimus Pontifex Innocentius XIII. Te Corcyrae Archipraeſulem renuntiavit: quod etiam in cauſſa fuiſſe videtur ut facilius Graecos, multo obſequentiores haberes, quam reliqui Praeceſſores Tui omni virtutum genere praeſtantiſſimi. His accedit Enchiridion Graecorum, quod de illorum dogmatibus, & , ritibus Romanorum Pontificum decreta poſt ſchiſmatis Epocham edita, a Te primum in unum collecta complectitur: quod poſtquam an.* 1726. *Romam ad viſitanda Apoſtolorum limina venerabundus convolaſti, ſtatim Benedicto XIII. acceptiſſimus, dum eundem Pontificem ſequenti anno in Beneventano itinere comitareris, eidem nuncupaſti, ac ibidem ex Typographia Archiepiſcopali Beneventana in conſpectum venire voluiſti; quaſi nec labore feſſus, nec itineribus curiſ-*

curiſque diſtentus eſſes , otiaque Tibi ubique ſuppeterent . Demum quid memorem praeſtantiſſimam Sancti Ephraem Syri editionem Graeco-Latinam , quam in quattuor Tomos diſtributam adornare ſuſcepiſti , conquiſitis undique venerandae Antiquitatis monumentis, adjectiſque Diſſertationibus non vulgari eruditione refertis, una cum adnotationibus ad diſciplinam Eccleſiaſticam illuſtrandam, atque ad Catholicam fidem contra veteres ac recentiores praeſertim baereticos ſtabiliendam , ex traditione Eccleſiae Syriacae derivatis , quae in poſtrema parte ſub Panopliae nomine comparebunt ex Typographia Vaticana . Hujus ſpecimen a Te oblatum , ut primum adſpexit Sapientiſſimus Pontifex Clemens XII., in quodam Brevi haec ad Te ſcribere dignatus eſt: Gratiſſima fuerunt folia conſpicuae editionis Operum S. Ephraem Syri a Te dono miſſa , quae eruditionem Tuam , quam tot documentis hactenus probaſti , maximopere commendant. *Codices paene innumeros conſulere Tibi fuit neceſſe , ac ſoli Graeci Vaticanae Bibliothecae ad ſeptuageſimum circiter aſcendunt . Horum ope Tomus tertius quamplura illius Orientalis Eccleſiae luminis Opera ante hac inedita pollicetur : quin formis ex celeberrimo Typographiae Mediceae poenu depromptis ipſum textum Syriacum proferet, qui fore ut aliquando ab eruditis fontes ipſos ſitientibus inſpiceretur vix ulla ſpes erat . Quare ut eruditis omnibus nuntiatum eſt , editio talis prodibit , qualem Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus de more congregatus olim exoptaverat, doctoque Viro provinciam mandaverat, teſte Combefiſio in Biblioth. Concionat. licet*

irri-

irritis votis & conatu; cum tanti Operis gloria Tibi unice, CARDINALIS AMPLISSIME, *reſervaretur. Id vero omni virium conatu praeſtare deliberaſti, ſtatim ac idem Clemens XII. P.O.M. honorem omnino ſupremum Sanctae Romanae Eccleſiae Bibliothecarii Tibi conferre optimum reputavit, ut aemulareris Cardinalem Marcum Antonium Amulium Cl. concivem Tuum eadem Praefectura donatum an.* 1565, *qui ſemper ſtuduit impenſe ut in Vaticana Bibliotheca Sanctorum Veterum Opera ſumma fide excuderentur, teſte Mariano Victorio in Epiſtola nuncupatoria Operum Divi Hieronymi ad Pium IV., in qua ait*. Is enim ita ad hoc Opus ſuſtentandum promovendumque intentus, & aſſiduus eſt, ut deſiderari in eo non poſſit amplius. *Porro Tu*, EMINENTISSIME PRINCEPS, *quanto amore Vaticanorum Scriniorum theſauros proſequaris ſatis ſuperque prodidiſti mox elapſo anno* 1731. *cum Brixiam Tibi commiſſam reverſus, Paſtoralibus curis & praeſertim novae Cathedrali perficiendae licet intentus, ut utilem, quamvis abſens eſſes, Bibliothecae Te probares, eidem irrevocabili inter vivos donatione ſelectiſſimos libros tuos omnes donaſti; atque ut Tui ſpatia pro illis retinendis laxarentur ab ipſomet feliciter regnante Pontifice per litteras obtinuiſti: qui Te illi Bibliothaecae* publica litterarum utilitate, Tuaeque virtutis merito poſtulante, Praefectum *commendavit. Sed ingenii Tui monumenta diutius non perſequar; cum alia ſint quorum praeconio virtutum Tuarum fama latius propagetur, & praeſertim quod juvenili adhuc aetate a Clemente XI. tribus ſacris Congregationibus primum adſcriptus*

fue-

fueris Indicis nempe, Rituum, & Sancti Officii; dein vero ad Abbatiales evectus infulas, antequam per tempus liceret. Quod ſi inſignia Tuae Purpurae ornamenta ſuſpicio, magis tanti onoris ſplendore percellor; cum Tuis ipſe meritis, non obſecundantis Fortunae beneficio ad ſummae Cardinalatus dignitatis faſtigium evectus ſis, adeo felici Chriſtianae Reipublicae exitu, ut Tui nominis fama, quae inter domeſticos Caenobitarum cancellos diu latere non potuit, magis in dies aucta, tandem in Urbe Roma admirationi eſſe potuerit, quae juxta vetus adagium nihil unquam admiratur. Quid dicam de Tua erga omnes aequabilitate, ob quam, ut Sidonii Apollinaris ſententiam uſurpem, ſine ſuperbia *cernis* nobilem, ſine jactantia literatum, ſine aſperitate coſtantem, ſine popularitate communem. Lib. VIII Epiſt. 18.
Tu es ſuavis alloquio, in dicendo vel ex tempore facundiſſimus, atque in ampliſſimo dignitatis & auctoritatis gradu, cum modeſtia, tum comitate ſecundus nemini. Subit vero animum meum aliarum quoque virtutum Tuarum recordatio. At longum eſſet ire per ſingulas: immo id praeſtare vitio verteretur, cum vel jam videar abuti patientia Tua, ac diutius quam par eſt in hujuſmodi ſermone immorari; praeſertim cum alloquar CARDINALEM AMPLISSIMUM *aſſiduis Paſtoralis muneris curis detentum, qui, quod Eccleſiae regimen, quod graviſſimorum ſtudiorum ratio, quod Vaticanae Bibliothecae onus, quod Cardinalatus dignitas, quod in Deum pietas & amor, ac demum quod ad Eccleſiae ornamentum Religio exigit, nullo ſane tempore praetermittit, adeo ut nihil admodum otii ſibi reliquum videatur. Hoc ſi antea mecum*

ipſe

ipſe reputaſſem, ſatis ſuperque viſum fuiſſet (quod non ſine magna quidem mei ignoti nominis perennitatis uſura eſt) hoc anecdotorum monumentorum qualecumque ſpicilegium Tibi, CARDINALIS AMPLISSIME, *nuncupare. At ſi me excuſem, veniam Te mihi daturum confido. Vides enim quae me in primis rationes impulerint, ut Te deligerem egregium Virum, qui mihi monitor eſſes atque Mecoenas. Id autem dum praeſtarem, a Tuis etiam laudibus celebrandis me temperare non potui; quod non ad reprehenſionem ab aliquibus referri velim, ſi conatui vires non ſuffecerint. Amentem enim eſſe oportet, qui tantum audeat; praeſertim propoſito ſibi Viro numeris omnibus abſoluto, cujus proinde praeclare geſta nemo unquam pro meritis commendabit. Quod ſi modeſtiae Tuae leges violaſſe dicar, adeoque vel hic conatus ſpecie culpae non careat; eſto: ſed nolo purgare; cum neque fabulas venditarim, nec aliud in medium attulerim, praeter imaginem Tui: immo nec ſicut primum mihi animo & cogitatione propuſueram, ipſam effinxi, nec Tuis virtutibus feci dicendo ſatis, cum Tu omni encomio major exiſtas.*

NOI

NOI
RIFORMATORI
Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. *F. Tommaſo Maria Gennari Inquiſitore*, nel Libro intitolato *Enarratio Pſeudo-Athanaſiana in Symbolum &c. Opera, & Studio Joſephi Blanchini*, non v'eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica; e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro niente contro Principi, e buoni coſtumi; concediamo Licenza a Pierantonio Berno Stampatore in Verona, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Publiche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. 28. Febr. 1732.

(Aluiſe Piſani Kav. Proc. Rif.
(Z. Piero Paſqualigo Rif.

Agoſtino Gadaldini Segr.

* *

D. IRENAEUS

Lib. 1. contra Haereſes cap. 10.

ECcleſia enim per univerſum orbem uſque ad fines terrae ſeminata, & ab Apoſtolis, & a Diſcipulis eorum accepit eam Fidem, quae eſt in unum Deum,
Pſal.145. 6. *Patrem omnipotentem*, qui fecit caelum, & terram, &
Actor. 4. 24. & 14. 15. mare, & omnia, quae in eis ſunt: *& in unum Jeſum Chriſtum Filium Dei, incarnatum pro noſtra ſalute: & in Spiritum Sanctum, qui per Prophetas praedicavit diſpoſitiones Dei, & adventum, & eam, quae eſt ex Virgine generationem, & paſſionem, & reſurrectionem a mortuis, & in carne in caelos aſcenſionem dilecti Jeſu Chriſti Domini noſtri,*
Epheſ. 1. 10. *& de caelis in gloria Patris adventum ejus*, ad recapitulanda univerſa, *& reſuſcitandam omnem carnem humani generis, ut Chriſto Jeſu Domino noſtro, & Deo, & Salvatori, & Regi, ſecundum placitum Patris inviſibilis*, omne genu curvet caeleſtium, & terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur ei, *& judicium juſtum in omnibus*
Philip. 2. 10. & ſeqq.
Epheſ. VI. 12. *faciat: ſpiritalia quidem nequitiae, & Angelos tranſgreſſos, atque Apoſtatas factos, & impios, & injuſtos & iniquos, & blaſphemos homines in aeternum ignem mittat: juſtis autem & aequis, & praecepta ejus ſervantibus, & in dilectione ejus perſeverantibus, quibusdam quidem ab initio, quibuſdam autem ex poenitentia vitam donans, incorruptelam loco muneris conferat, & claritatem aeternam circumdet.*

DISSERTATIO

DE GENUINO AUCTORE SEQUENTIS ENARRATIONIS

PSEUDO - ATHANASIANAE

IN SYMBOLUM APOSTOLORUM.

HAnc fidei ἔκθεσιν, ſive potius in Symboli traditione Sermonem ad neophytum competentem, celeberrimi toto orbe Athanaſii Alexandrini Epiſcopi fetum non eſſe facile iis perſuadebitur, qui vel alias hujuſmodi formulas Athanaſio falſa inſcriptione tributas examinarunt, vel hanc ipſam non aliud agendo legerint. Primum argumentum, utpote potiſſimum, ſit verſiculus ſeptimus ex cap. 5. primae Joannis Epiſtolae ad noſtri Opuſculi calcem allegatus, nempe: *Tres ſunt qui teſtimonium perbibent in caelo, Pater, Verbum, & Spiritus; & ii tres unum ſunt*. Hunc enim in Athanaſianis codicibus non exſtitiſſe nemo prudens dubitaverit, qui advertat nunquam ab ipſo fuiſſe allegatum in Operibus eius genuinis, in iis etiam, in quibus totus eſt in Arianorum haereſi refellenda, cum Deitatem Filii, & Spiritus Sancti, ipſumque Trinitatis Myſterium, conquiſitis undique Scripturae locis, contra ipſos adſtruere conatus eſt; quamvis neceſſaria, atque admodum

commoda occaſio foret verba illa Joannis, ſi quidem in Graeco ejus codice exſtitiſſent, proferendi. Praeterea ſi haec Symboli expoſitio Athanaſium Auctorem haberet; ipſe, utpote Nicaeno Concilio addictiſſimus, in primo articulo enucleando Filium Dei Deo Patri ὁμοούσιον, hoc eſt *conſubſtantialem* eſſe diceret. His accedit Athanaſium Nicaenorum Patrum ſententiae ſtrenuiſſimum propugnatorem, tanti eorum Symbolum feciſſe, ut hac una formula in ſuae fidei profeſſione, tamquam certa Catholicorum teſſera ſemper uteretur. Quamobrem ad Jovinianum Auguſtum ſcribit: *Cum igitur pietas tua cognoſcere e nobis cupiat Eccleſiae Catholicae fidem, nihil nobis conſultius viſum, quam ut fidem, pro qua Patres Nicaeae propugnarunt, tuo religioſo animo recitaremus.* Et poſtquam dixit univerſas Hiſpaniae, Britanniae, Galliae, Italiae, aliarumque regionum Eccleſias Nicaenum Symbolum adoptaſſe, haec addit: *Huic autem fidei, Auguſte, omnes acquieſcant, atque in ea maneant, uti Divina atque Apoſtolica oportet, ut nil ex ea immutare per contentiones, pugnaſque verborum liceat.* Demum nullus Catechiſticus Sermo Athanaſii in ejus Operibus apparet, nec aliquem edidiſſe unquam credibile eſt, ut ex mox dicendis de Alexandrina Schola patebit: quare cum veritas in comperto ſit, caetera praetermitto, ne delicatis quorumdam auribus faſtidium creem.

Quoniam vero noſtri Symboli expoſitio Athanaſii nomen praefert in praeſtantiſſimo Veronenſi libro, antiquo celeri charactere circa ſeptimum ſaeculum exarato, nec Epiſcopi nomen additur, ſuſpicioni locum dari putabam, ut de alio intelligeretur Athanaſio, illo nempe Alexandrino presbytero, Cyrilli Alexandrini ſororis filio, cujus exſtat Libellus Graece, & Latine ad Leonem Papam, adverſus Dioſcorum, in Actis Synodi Calchedonenſis, Actione tertia. Nec ſcriptionis genius, aut res quae hoc in Sermone ediſſeruntur, aut tempus diſcrepare mihi primum videbantur. Et pluris faciendum eſſe putabam, quod vetuſtiſſimus idem codex, a quo nunc primum deſcribitur, Acta quaedam Calchedonenſis Synodi, atque XII. Cyrilli Anathematiſmos

Tomo V. Concil. Labb. pag. 1281. Venetae qua utimur edit.

prae

prae caeteris contineret. Accedebat etiam hoc proprium fuiſſe Presbyteri munus κατηχήσεως praeſertim in Alexandrina ſchola, cujus rei paſſim exempla ſuppetunt. Nos a pluribus recitandis abſtinemus, ut longiores ne ſimus. Igitur ſatis erit hic adlegare quae habet Euſebius lib. 5. Hiſt. cap. 10. de Pantaeno Alexandrinae ſcholae Praefecto, qui floruit ſub finem ſecundi ſaeculi aerae Chriſtianae: *Per idem tempus*, inquit, (Commodo nimirum imperante) *fidelium ſcholae praeerat vir doctrinae cauſſa celeberrimus nomine Pantaenus*; *quippe jam inde a priſcis temporibus*, *ſacrarum litterarum ſchola in civitate* (Alexandrina) *ea fuerat inſtituta*, *quae quidem noſtra aetate adhuc perſeverat*. Deinde aperiens quid in ea ſchola doceri tractarique ſoleret, tradit ſacrarum Scripturarum ſtudio adjectam fuiſſe Divinorum dogmatum explanationem; ait enim *Divinorum dogmatum theſauros expoſuit*: ac demum quomodo id fieret idem docens ait: *partim viva voce*, *partim ſcriptis*: ergo praeter Divinam Scripturam, etiam Chriſtianae Religionis Symbolum, quod ſcriptis minime conſignari poterat, in illa ſchola Catechumenis explanabatur. Id magis etiam compertum fit ex iis quae ſcribit lib. 6. cap. 6., ubi habet: *Per idem tempus Clemens qui Pantaeno ſucceſſerat*, *apud Alexandriam Catechumenorum inſtitutioni adhuc praeerat*; *adeo ut auditor ejus etiam tum puer fuerit Origenes*. Verum re maturius penſitata Athanaſii Alexandrini etiam ſententia a veritate prorſus aliena mihi tandem viſa eſt, cum Scriptorem noſtrum Latinum eſſe comperi: nam Graecis ſemper ſollemne fuit primo ac ſecundo Romani Symboli articulo *τὸ unum* addere; ipſique poſt Nicaenum Concilium non aliam fidei formulam adhibuerunt, etiam in baptiſmate, quam Nicaenam; ut exemplo eſſe poſſunt Tyrii Patres, qui Nicaenae Synodi fidem ſuſcipere ſe profitentes, haec habent Actione quinta Concil. Conſtantinopol. ſub Menna habiti: *Symbolum Orthodoxum*, *quod ab ea expoſitum eſt*, *confitemur cum fiducia*, *& praedicamus in Eccleſia*; *in ipſo baptizati*, *& baptizantes*. Similiter Hieroſolymitani, ac item Conſtantinopolitani, quorum haec ſunt verba ibidem: *Sanctum Symbolum*, *in quo*

omnes baptizati ſumus, cum Sancto Spiritu Nicaena Synodus pronuntiavit. His accedit Sanctus Cyrillus Alexandrinus in
Ep. 47. litteris ad ſuorum Monaſteriorum Archimandritas; necnon Epheſinum Concilium, quod adverſus Theodorum Epiſcopum Mopſueſtenum vetuit, ne aliud quam Nicaenum in baptiſmi collatione Symbolum adhiberetur; inquit enim: *Qui vero auſi fuerint aut componere fidem alteram, aut proferre, vel afferre converti volentibus in agnitionem veritatis ſive ex Gentilitate, ſive ex Judaiſmo, ſive ex qualicumque haereſi, hos quidem ſi ſint Epiſcopi aut Clerici, alienos eſſe Epiſcopos ab Epiſcopatu, & Clericos a Clericatu decrevit Sancta Synodus; ſi vero laici fuerint, anathemati ſubjici*. Item Oecumenica Calchedonenſis Synodus, poſtquam Eunomius Nicomedienſis Epiſcopus Nicaenum Symbolum recitaverat, ex-
Act. 2. clamavit: *Haec Catholicorum fides; huic omnes credimus: in hac baptizati ſumus; in hac baptizamus; Beatus Cyrillus sic docuit; haec vera fides; haec ſancta fides; haec ſempiterna fides; in hac baptizati ſumus; in hac baptizamus; omnes ita credimus*. Et in Synodalibus ad Imperatorem poſt idem
Epiſt. 43. Concilium exſtantibus litteris Epiphanius Pergenſis Epiſcopus ſcripſit: *Nulla alia doctrina a nobis tradita eſt accedentibus ad ſalutare ſanctumque baptisma, nisi quae a Sancto Nicaeno Concilio prolata eſt*. Praeterea Patricius Thyanenſis Epiſcopus, ſecundae Cappadociae Metropolita, in
Epiſt. 51. ſuae Synodi litteris habet: *Secundun antiquum, ſanctum, & univerſale Concilium Sanctorum trecentorum decem & octo Patrum, in Nicaena urbe celebratum, baptizati ſumus, & noſmetipſos bonae confeſsioni tradidimus:* Cui auctoritati ac-
Ep. 145. cedit & altera Theodoreti Cyrenſis in Eupratesia Provincia Epiſcopi, qui in litteris ad Conſtantinopolitanae Eccleſiae Monachos habet: *Eos enim qui ad ſacroſanctum Baptiſma singulis annis accedunt fidem Nicaeae a Sanctis Patribus expositam ediſcere jubemus*. Demum Patres in quinto Concilio congregati, poſtquam Theodori Mopſueſteni blaſphemum Symbolum fuit recitatum, dixerunt: *unum tantummodo fidei Symbolum ſcimus, quod Nicaeni Sancti Patres expoſuerunt, & tradiderunt. Hoc & ſan-*

ſanctae tres Synodi tradiderunt. In hoc omnes baptizati ſumus, & nos in hoc baptizamus. Hunc, qui apud Graecos viguit, nunquam Apoſtolicum, ſed ſemper Nicaenum Symbolum Cathecumenis exponendi, atque Competentibus tradendi, morem, Romana Eccleſia comprobavit. Etenim Felix hujus nominis III. ſeu Simplicius, ut alii volunt, in ea quam ſcripſit ad Petrum Fullonem Antiochenae Eccleſiae Patriarcham, Epiſtola, haec habet: *Accedentes ad ſanctum Baptiſma pacta fecerunt, & baptiſmatis tempore promiſerunt credere in unum Deum omnipotentem &c.* Ep. 8. ubi una cum Conſtantinopolitanae ſormulae additamentis, caeteros Nicaeni Symboli articulos enumerat. Praeterea in elucubrandis adnotationibus quaedam loquendi genera ab Athanaſio noſtro uſurpata fuiſſe cognovi, quae a Graecanicis fontibus minime profluxerunt. De his penes eruditos aequi bonique judicium eſto. Nos abſque verborum fuco expendemus ſingula momenta rationum, quibus in hanc ſententiam volentes nolentes trahimur, ac veluti manuducimur ad alium Scriptorem ſub Athanaſii nomine inquirendum in Latina Colonia, cum Graecia illi Parens eſſe nequaquam poſſit.

Igitur conſideranda ſunt ea verba noſtrae Apoſtolici Symboli Expoſitionis, quae de Deo Patre ſic habent: *Nemo ſine generationis fide appellat auctorem*: & infra: *cum Deum dicimus primitus, & Patris nomen Dei nomini non avellimus, unum quidem auctorem prodimus; ſed eum, qui ex auctoritate eſt, coaeternum fatemur auctori*: ipſa namque vel ſola videntur ſufficere ad dirimendam quaeſtionem de qua agimus.

Dudum ſiquidem *Auctoris* nomine in Divinis Principium venit: ſed Graeci, vel nullum vocabulum habent, quod illi reſpondeat; vel ſi quod adſcitum adoptarunt, eo in Trinitatis Myſterio minime uſi ſunt; ut docet Theodorus Gaza pag. mi: lib. de menſibus. Neminem certe invenias qui Patrem 302. αὐθέντην τῦ ὑῦ dixerit. Quamobrem, ut animadvertit Cl. Petavius de Trinitate lib. 5. cap. 5. §. 11., *fruſtra ſunt recentiores quidam de ſchola Theologi, qui ut Patrem aucto-*

rem appellari poſſe demonſtrent , teſtes Graecos Patres adbibent , Dionyſium, Athanaſium, Gregorium Nazianzenum, Euſebium , & caeteros . Nam .... Graeci illi , ἀρχῆς , vel αἰτίȣ , vel γενεσιȣργȣ͂ , vel etiam πατρὸς , aut ſimilibus utuntur . Quare Latinorum haec appellatio propria eſt : haec ille . Et ſi ergo caetera deeſſent , hoc unum ſatis ſuperque ducerem ad Scriptorem noſtrum Latinum aſſerendum ; cum non ſemel *auctoris* vocem uſurpet , a Graecae locutionis conſuetudine prorſus alienam . Ea vox , ſi ſumatur pro jure in voluntate ſito , quod in res omnes creatas exercet Deus , Paternae generationi prorſus repugnat : qua de cauſſa Cerealis in libro adverſus Maximianum , Patrem
Cap. 9. eſſe auctorem negat . *Patri* , inquit , *non eſt auctoritas ; quia voluntas nulla eſt . Pater enim nec volens , nec nolens genuit , ſed natura .* Verum ſi Latina haec *auctoris* , atque *auctoritatis* vocabula pro principio, atque origine unius ab altero accipiantur , ut de hac fidei expoſitione dictum eſt ; tunc Deo maxime competunt . Quamobrem Divus
Tom. II. pag. 143. Lit. B. Edit. Veron. Hilarius lib. VI. de Trinitate ait : *Non erat ante quam naſceretur : ut in eo quod non fuit , ante quam naſcitur , naturam ei ſubſiſtentis originis denegaret , & coepiſſet eſſe de nihilo , cui ante nativitatem ſuam exiſtens , non daretur auctoritas .* Item libro nono:
Ibidem pag. 293. Lit. E. *Si paternae in ſe naturae auctoritate quod gerit , gerente Patre agit , qui uſque modo operatur in Sabbato ; extra crimen operis eſt Filius , in quo paternae operationis praefertur auctoritas . Non enim ad infirmitatem retulit ,* non poteſt , *ſed ad auctoritatem .* Atque in eodem libro :
Ibidem pag. 281. Lit. D. *Cum enim innaſcibilis Deus ad perfectam Divinae beatitudinis nativitatem unigenito Deo auctor ſit , auctorem nativitatis eſſe , Sacramentum paternum eſt . Caeterum non habet contumeliam , qui ſe auctoris ſui eſſe imaginem genuina nativitate conſummat .* Quin idem alibi paſſim *auctoris* nomen adhibet , ut in
Ibidem pag. 74. Lit. C. quarto libro ſub initium : *In uno , ex quo , auctoritatem innaſcibilitatis intelligit ; In uno , per quem , poteſtatem nihil differentem ab auctoritate veneratur .* Et in
Ibidem eodem iſta de Pſalmo 44. explicans *Propterea unxit te Deus*

Deus Deus tuus , inquit , *Tuus : relatum eſt ad aucto-* pag. 96.
rem : te vero ad ejus qui ex auctore eſt , ſignificationem . Lit.B.C.
Eſt enim Deus ex Deo . Et alibi *Ex Patre enim exiens* , Lib. 6.
neque aliam nativitatis habuit naturam , neque nullam : pag. 144.
ſed eum ſibi teſtatur auctorem , ex quo profitetur exiſſe . Lit. B.
Item in ſeptimo : *Ita* , inquit , *imago eſt , ut non diffe-* Ibidem
rat genere , ſed ſignificet auctorem . Et in nono ; *Natu-* pag. 205. Lit. D.
ralis igitur Filio Dei , & congenita omnis poteſtas eſt ; pag. 281.
quae cum data ſit , non alienat eum per id ab auctore , Lit. E.
quia data eſt ; cum quod ſit auctoris , hoc datum ſit .
Et in duodecimo : *Cum natus ſit* , inquit , *Patrem teſta-*
tur auctorem . Tum , *Si non aeternum ; jam nec Pater ,*
qui generationis eſt auctor , aeternus eſt . Sic in libro de
Synodis *Patri ſubjectus eſt , ut auctori* . Prudentius quo-
que in Apotheoſi.

Sic ſit ut aeternum credamus cum Patre Chriſtum
Illo auctore ſatum , cui nullus praefuit auctor .

Et ante ,

Qui Pater eſt , gignendo Pater ; tum Filius , ex hoc
Filius auctore , ut genitus quod ſit Patre ſummo .

At de *Auctoris* vocabulo ſat multa diximus . Reſtat nunc , ut ſi alia ſuperſint momenta rationum , quibus vernaculum Scripturæ genus ab Athanaſio noſtro uſurpatum quoquo modo determinari poſſit , ea nunc in medium proferantur . Igitur animadverſione dignum eſt , Apoſtolici Symboli Expoſitionem , de qua loquimur , ſic exordiri : *Initium Sacramenti confeſſione credulitatis imbuitur* . At Sacramenti nomine tantum apud Latinos Apoſtolorum Symbolum venit, ut novimus ex Tertulliano Praeſcriptionum contra hae- pag. 208.
reticos cap. 20. ubi ait : *Itaque tot ac tantae Eccleſiae , una* Lit. D.
eſt illa ab Apoſtolis prima , ex qua omnes . Sic omnes prima , edit. Lutetiae Pa-
& Apoſtolicae , dum una omnes probant unitatem . Dum eſt riſiorum
illis communicatio pacis , & appellatio fraternitatis , & conteſ- anno
ſeratio hoſpitalitatis . Quae jura non alia ratio regit , quam 1675.
ejuſdem SACRAMENTI *una traditio* . Nam ut animad-

ver-

vertit Georgius Capuanus Ambranenſis ad hunc locum: *teſſera olim in jus hoſpitalitatis ſervata ; ſed inter fratres Chriſtianos , non aliud quam fidei Symbolum .* Quod commentarium probant etiam Nicolaus Rigaltius, & Chriſtianus Lupus; mihique vel ex eo maxime arridet, quod Lucianus ad Chronium, deſcribens aſtus cujusdam Peregrini nequiſſimi hominis, qui lucri cauſſa ſe Chriſtianum ſimulans in carcerem detrudi libenti animo paſſus erat, ut inde ex oblationibus Chriſtianorum lautiorem vitam ageret, haec de primitivae Eccleſiae Fidelibus addat: *Proinde apud illos omnes ex aequo habentur contemptui, praeter* FIDEM *quam exacte* EXPLORATAM *a quocumque* DEFERENTE *ſuſcipiunt; quod facile ſit eos ab impoſtoribus ſeduci, eoſque brevi fieri opulentos.* Porro illud ſignum ſeu Sacramentum ad dignoſcendos falſos fratres, & ad hoſpitalitatem habendam Symbolum Apoſtolorum fuiſſe hinc etiam liquet; & non obſcure innuitur ab eodem Tertulliano in Opere jam laudato, in quo, ut oſtenderet contra Valentinianos praeſertim, ac Marcionitas ipſorum Eccleſias non eſſe Apoſtolicas, neque per fundationem, neque per Doctrinae conſanguinitatem, ſic

cap. 22. laudati Operis pag. 213. Lit. C.

claudit Sermonem. *Ita omnes haereſes ad utramque formam a noſtris Eccleſiis provocatae, probent ſe quaqua putant Apoſtolicas. Sed adeo nec ſunt, nec probare poſſunt, quod non ſunt: nec recipiuntur in pacem, & communicationem ab Eccleſiis quoquo modo Apoſtolicis. Scilicet ob diverſitatem* SACRAMENTI *nullo modo Apoſtolicae.* Alibi etiam laudat *Sacramentum diſciplinae, & converſationis; Sacramentum ſalutis; Sacramentum ſanctificationis; Sacramentum Chriſtianae religionis*; ut

pag. 310

libro de Praeſcriptionibus videre eſt. Tertullianum excipit Firmilianus qui Epiſtola contra Stephanum inter Cyprianicas n. 75. ait: *Hoc eſt ſervaſſe unitatem Spiritus in conjunctione pacis, abſcindere ſe a caritatis unitate, & alienum ſe per omnia fratribus facere, & contra* SACRAMENTUM *& fidem contumacis furore diſcordiae rebellare.* Cyprianus quoque lib. de baptiſmate ad Symbolum reſpexiſſe videtur, cum inquit: *Aut quid ſtatues de eis qui ab Epiſcopis prave ſentientibus, aut imperitioribus fuerint baptizati, quando non ad liquidum*

&

& integre, vel etiam aliter quam oportet in TRADITIONE SACRAMENTI *fuerint locuti, certe aut interrogaverint quid, aut interrogantes a reſpondentibus audierint, quod minime ita interrogari, aut reſponderi debet, quod tamen non valde illam noſtram rectam Fidem laedat, ſed non tam ornate ut tu & compoſite, iſti quoque ſimpliciores homines myſterium Fidei tradant:* Quare Sacramenti vocabulum Africanae Eccleſiae peculiare fuiſſe nullus dubito; licet cum addito, ad Symbolum ſignificandum, etiam in aliis Patribus reperiatur, ut apud Ambroſium de Virg. lib. 3. ubi *militiae Sacramentum* Apoſtolica fidei Regula dicitur. Tomo 1. pag. 84.

Praeterea cum inquit noſter Athanaſius: *Praejudicatum tenetur hoc confeſſionis exordio, ut Filium Deum credat, qui Deum Patrem ſe confeſſus eſt credidiſſe;* Latinum eum eſſe quis neget? hoc namque vocabulum *praejudicatum* ſub hujuſmodi ſignificatione uſurpatum apud Tertullianum tantum inveni in Apol. cap. 3. ubi ait: *juſtius ſit occulta de manifeſtis praejudicare, quam manifeſta de occultis praedamnare.* pag. 4.

Quamobrem ex dictis hucuſque liquet Scriptorem noſtrum inter Latinos accenſendum eſſe, cum nullibi graecizantem ſe prodat, ubique vero Romanæ Eccleſiae ritus callentem, atque Africanarum locutionum peritum. Reſtat ergo pro hujuſce Praefationis coronide, ut inveſtigemus modo quiſnam ipſe fuerit, qui ſub Athanaſii nomine larvatus venit in codice. Equidem non me latet Vigilium genere Afrum, Tapſenſem, ſive Tapſitanum in Provincia Byſacena Epiſcopum, qui anno 484. Eugenii Carthaginenſis confeſſioni Hunnerico Regi oblatae ſubſcripſit, multa edidiſſe, quae jampridem inter aliorum Opera delituerunt. Et, ut erudite coniicit Cl. Chiffletius, ſcripta ejus non pauca ſub Athanaſii Archiepiſcopi Alexandrini nomine ab eodem Auctore vulgata, atque ſuppoſita fuiſſe mihi pro certo eſt, ut Arianorum odium atque invidiam declinaret, cum eo titulo in omnibus manuſcriptis libris exhibeantur; ut exemplo ſunt: *Diſputatio cum Ario coram Probo Judice* a Montfauconio in lucem emiſſa, ac iterum, ex pleniore Chiffletii editione, ab eodem Montfauconio vulgata ſub hoc titulo: *Altercatio* Tomo 11. pag. 614. Ibidem pag. 642

tio Sancti Athanaſii Epiſcopi contra Arium, Sabellium, vel Photinum haereticos. item *Solutiones objectionum Arianorum*, quas primo Dialogo contra Arianos Vigilius adjeciſſe videtur ſub ejuſdem Athanaſii nomine, antequam ſecundam illorum Dialogorum editionem moliretur, quaeque exſtant
pag. 806. Tomo VIII. Bibl. Patrum inter illius Opera. Hae namque in Manuſcriptis codicibus Cluniacenſi, Pariſienſi, Pictavenſi, & Pontiniacenſi ſubiiciuntur Dialogo contra Arianos, ſolis Athanaſio, Ario, & Probo Judice interlocutoribus. Demum duodecim libri de *Trinitate*, in vetuſtiſſimis etiam codicibus Magno Athanaſio adſcripti, quorum optimo jure Sirmondus, Labbeus, Chiffletius, Tillemontius, aliique recentiores Tapſitanum Vigilium eſſe Parentem volunt; licet Montfauconius octo priores libros tribuere conatus ſit Idatio Chronographo, qui Lemicenſis a Sigiberto dicitur, quique Leone imperante diem ſuum obiit. Quoniam vero horum librorum nonnulli nunc etiam ſuperſunt in noſtro codice, decimus nempe ex parte, ac integer ſextus; (quos inter Opus *Sancti Athanaſii de Symbolo*, quod nunc primum publici juris facimus, medium occurrit) videamus nunc, an re felicius cedente, inde ad genuinum Auctorem detegendum lucis aliquid erui poſſit. Qui acephalus eſt in codice ita inſcribitur a Chiffletio: *Liber decimus de Trinitate. Expoſitio Fidei*
To. VIII. Bibl. Patr. pag. 791. *Catholicae ad Theophilum*; in poſtrema vero Sancti Athanaſii editione donatur hoc titulo: *de Fide ſua*, ac poſt octo priores libros de Trinitate eſt ordine tertius atque poſtremus, adeo ut undecimi locum teneat. Itaque cum noſtra anecdota Fidei Expoſitio iſtum excipiat, ultimus vero de Trinitate liber, nempe duodecimus, editus a Chiffletio ſub titulo, *de Trinitate, & de Spiritu Sancto ad Theophilum*, Magnum Athanaſium Parentem habeat, ſive ſtilum ſpectemus, ſive argumenta, ut probat Montfauconius Tomo 2. pag. 603. inde videtur confici mancum eſſe Vigilii Opus, ac uno libro carere; quod propterea ope Veronenſis codicis jure merito ſuppleri poſſit, cum in ipſo mox ſequatur anecdotum Opus de Symbolo ejuſdem Athanaſii nomine inſignitum, ut caeteri Vigilii libri de Trinitate. His accedit initium noſtri Symbo-
li

li *Securus itaque de inſtituti tui indole* &c. ad Theophilum commode referri poſſe; adeo ut ejus proinde nomine ipſum quoque inſcriptum fuiſſe a veritate non abhorreat. Nec certe duodecim librorum numerus aliter ſtare poſſe videtur; etiam ſi Montfauconii argumentis pro poſtremo libro allatis, ut eum Athanaſio vindicaret, minime quis acquieſceret. Licet enim ipſe Vigilio, non Athanaſio tribueretur, nihilominus Theodulphus Aurelianenſis editus a Sirmondo an. 1646. hunc librum de Spiritu Sancto qui ut diximus, poſtremus omnium eſt in mſs., quique incipit: *His qui Filium Dei creaturam eſſe profitentur*, tamquam diverſum a libris de Trinitate laudat, hoc nomine: *liber quem ſcripſit adverſus haereticos*. Praeterea ſi editionem Pariſienſem Graeco-Latinam Sancti Athanaſii conſulamus, adhuc undecim libri tantum apparent: nam praemiſſis ſeptem libris, ut exſtant in Montfauconii, atque Chiffletii editionibus, ſic caeteri ſubſequuntur: Octavus: *de Ariana & Catholica confeſſione ad Theophilum*, cujus initium: *Ariani dicunt, Filium Dei non de ſubſtantia Dei Patris genitum, ſed extrinſecus creatum*: Nonus: *de Fide ſua ad Theophilum*, cujus initium: *Credere jubemur in Dei Patris omnipotentiam, & Filii ejus Jeſu Chriſti.* Decimus: *de Unitate fidei ad Theophilum*, cujus initium. *Fidei unius ſubſtantiae Trinitatis, hoc eſt Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Undecimus demum, *de Fide Unitatis & Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, cujus initium: *Credo in Deum Patrem omnipotentem & in unigenitum &c.* Et hæc eſt fidei confeſſio, quae in Manuſcriptis ſequitur poſt octo libros de Trinitate ad Theophilum, cui conſequenter adjungitur ſub uno eodemque titulo liber ille duodecimus ſat prolixus, qui illis verbis inchoatur: *His qui Filium Dei creatum eſſe profitentur nequaquam de Spiritu Sancto*, quemque ut dictum eſt Cl. Montfauconius vindicat Athanaſio.

His undecim ergo ſi noſter de Symbolo anecdotus liber accedat, nemo amplius fruſtra requiret numerum duodenarium, quem in codicibus exſtitiſſe Chiffletii auctoritate comprobatur; licet Montfauconius, eo quod octo libros contra

Arianos Athanaſium edidiſſe teſtetur Hincmarus, ac totidem tantum exſtent in Manuſcripto Sangermanenſi, in eam ſententiam deſcenderit, ut quatuor ſequentia Opuſcula praecedentibus libris minime eſſent adnumeranda. Sed jure an injuria id dictum ſit, ex ipſo Hincmaro liquet, qui librum
pag. 497. Athanaſii decimum de Trinitate laudat. Ordo item, quem Montfauconius, quoad octo priores libros, in codicibus conſtantem dicit, plane turbatur, ac ruit; & quem ipſe ſexto loco figendum putat, ope veterum editionum, atque auctoritate ſolius Sangermanenſis libri, numeralis notae 724., nos vetuſtioris codicis teſtimonio poſtremum fuiſſe oſtendimus. Detruncatus enim liber, a quo Manuſcriptus noſter codex ſumit exordium, decimus ordine eſt in Vigilii Operum editione. Huic accedit ille de quo agimus *Sancti Athanaſii de Symbolo*, quem propterea undecimum appellabimus; at hunc excipit ille qui ſextus eſt in editis, ac proinde duodecimus dicendus eſt. De hoc ut impraeſentiarum ſermonem inſtituamus, hic animadvertendum eſt quod a vulgatis adeo diverſus exhibetur, ut novus videri poſſit, cum illis additamentis penitus careat, quae jampridem in codices irrepſere, quaeque vel tunc exſtitiſſe novimus, cum Sangermanenſis codicis Antiquarius octo priores de Trinitate libros ſexcentis & eo amplius ab hinc annis ſcriptis commendaret. Scribit namque: *Explicit liber octavus Dei Patris, & Fi-*
Tom 2. S. Athan. *lii, & Spiritus Sancti, Athanaſii Epiſcopi. Hos libellos* VIII. *tranſcripſi, qui multa addita, & immutata continent.* Nonnulla horum additamentorum animadvertit Cl. Montfauconius ope laudati codicis, quo uſus eſt in adornanda editione, eaque anſulis clauſit, ut genuinam lectionem quoquo modo repraeſentaret: nos caetera detegemus, utramque lectionem edendo ad calcem adnotationum.

Sed ad alia momenta rationum, quae prae caeteris Vigilio favent, citiſſime properemus. Igitur peculiari animad-
To. VIII. Bibl. Patrum pag. 745. Lit. H versione dignum, eſt quod ipſe libro 1. Dialogi contra Arium Auctoritatis nomine originem Filii a Patre appellat, ut noſter Athanaſius. Item lib. 3. de Trinit. cum inquit. *Qua-*
Ibidem *propter cauſſa diſcernitur, & non Perſona: ac per hoc in*

Dei-

Deitate cum dicit , impaſſibilem Divinitatem deſignat . Ubi autem cauſſam hominis indicat , naturam paſſibilem eſſe demonſtrat . Vides quia ubi ſecundum auctoritatem refert , Divinitatem indiviſam a Deo Patre eſſe oſtendit : ubi ſecundum hominem indicat , infirmitatis naturam declarat . pag. 782. Lit. C. Praeterea pluris faciendum eſt quod ſcribit idem Vigilius lib. 2. contra Arium , Sabellium , & Photinum dicens *Quomodo ait* V*ADO AD* P*ATREM , cum quo & ſemper erat , & a quo nuſquam receſſerat ?* Ibidem pag. 793. Lit. D. (Ejus eſt enim ire ; & venire , qui aliquibus locorum terminis circumſcribitur , ut eum in quo erat deſerens locum , ad alium ubi non erat veniat ;) *niſi quia utique de illo quem adſumſerat homine loquebatur , quod ipſe erat iturus ad Patrem , a quo & venturus eſt judicare vivos & mortuos .* Hic namque ut vides, Deus aſſumpſiſſe hominem dicitur, pro ut in noſtra Apoſtolici Symboli Expoſitione non ſemel, ac praeſertim ad articulum de Chriſti reſurrectione ex mortuis , ubi legere eſt : *Poſt creditum ad inferna deſcenſum reſurrectionis celeritatem fatemur , ne reliquiſſe aſſumptum hominem Deus vel apud inferos putaretur .* Haec locutionis ratio quae Vigilio eſt familiaris , minus ſaepe occurrit in Patribus , cum poſt Neſtorii fraudes detectas, ab omnibus fere ea loquendi formula reſpueretur. Et profecto in Calchedonenſi Synodo Actione prima , poſtquam fuerunt recitata Acta Concilii pag. 102. Conſtantinopolitani ſub Flaviano , in quibus erat : *Dei Filium aſſumpſiſſe perfectum hominem* : interceſſit Euſtathius Beryti Epiſcopus , & ibidem : *Hominem non aſſumpſit* , ait, *ſed homo factus eſt : carnem autem aſſumpſit .* Maxentius quoque lib. 1. Dialogorum : *Ego*, inquit, *a Deo ſuſceptum hominem nullatenus dicere audeo . Sed Deum ſine diminutione Divinitatis ſuae factum hominem : ne ſi ſuſceptum a Deo hominem dixero , duas videar in Filio Dei praedicare perſonas .... Melius ergo eſt ſuſceptam a Deo naturam humanam , quam ſuſceptum hominem dicere . Nam Neſtoriani cum a Deo Verbo ſuſceptam audirent naturam humanam , perſonam ab eo , hoc eſt hominem , ſuſceptam , non eumdem factum hominem credebant ,* ut idem Tomo 4. Bibl. Col. 470.

mox refert. Cyrillus quoque Anathematiſmo octavo cum anathema dixiſſet ei: *qui aſſereret, aſſumptum hominem, una cum Dei Verbo adorandum*: poſtea in Theodoriti refutatione ait, *non aſſumptum eſſe hominem a Deo Verbo, & quadam habitudine copulatum; ſed illum potius hominem eſſe factum*. Item in Epiſtola ad Joannem Antiochenum: *Non hominem alium*, inquit, *ſibi conjunxit, ut quibuſdam viſum eſt, ſed idem revera factus eſt homo*. Et Sanctus Papa Felix Martyr citatus in Epheſina Synodo Actione prima: *Non hominem aſſumpſiſſe Dei Filium*, ait, *ut ſit alter ab ipſo*. Demum idem Cyrillus in priori Epiſtola ad Succeſſum: *factus eſt*, inquit, *homo, non hominem aſſumpſit, ut Neſtorio videtur*.

Tom. 5. par. 2. pag. 195.

Eph. Concil. pag. 268.

pag. 139.

Ex hactenus dictis duo liceat eruere. Primum ſit, quod noſter Athanaſius videtur Vigilium ſe prodere, cum uterque eorum illis vocibus utatur *hominis aſſumpti a Deo*, quibus perperam intellectis Neſtorius merum hominem, jam Mariae ſinu efformatum, a Verbo aſſumptum fuiſſe impudenter ajebat, quaſque cum Latini tum Graeci maxime Patres poſtmodum non ſemel atque iterum, ſed ſaepe ſaepius damnarunt. Secundum ſit, quod haereſis nota neutri eſt inurenda, cum ante Cyrillum, immo vero adhuc per ea Cyrilli tempora non defuerint Catholicae Fidei adſertores, qui hujuſmodi voces optimo ſenſu protulerint; ut liquet ex Juſtino Martyre qui in calce Paraenetici ad Gentes Verbum Dei aſſumpſiſſe hominem ait: *Qui cum eſſet*, inquit, *Dei Verbum virtute inſeparabile, hominem aſſumpſit qui ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus eſt*. Item ex Prudentio qui in Apotheoſi ait:

Totum hominem Deus aſſumpſit, quia totus ab ipſo eſt:
Et totum redimit, quem ſumpſerat........

Et ex Auguſtino lib. xr. de Civitate Dei cap. 2. ubi haec ſcribit: *homine aſſumpto, non Deo conſumpto peractum Incarnationis Myſterium docet*. Item ex Ambr. qui lib. 5. de Fide cap. 5. *: hominis ſuſceptionem* dixit ut & *corporis*. Demum locutio illa aſſumpti hominis a Cyrillo licet repudia-

diata, quandoque tamen ab eodem fuit adhibita. Nam Eulogius Alexandrinus de ipſo ſcribit in libro Theſaurorum apud Photium cod. 230. *Divinum Verbum pro nobis factum Pontificem, velut talarem quamdam veſtem aſſumpſiſſe hominem ex Maria, ſive templum*. Et ſi vero exempla deeſſent, Vigilii fidem ſatis ſuperque vindicarent Scripta ejus, Neſtorianis ſemper infenſa; & noſtri Athanaſii mens clare erueretur ex his quae habet ad articulum de Maria Virgine, & ex ſequentibus, praeſertim cum inquit: *Aſcendit in Caelos, ne alium Chriſtum in Filio Dei, alium in hominis filio putaremus*. pag. 446. & 452. Ex Cyr.

Praeterco parallelas Vigilii ſententias, quae cum in adnotationibus allatae ſint, ſupervacaneum videtur hic denuo illas recenſere. Quare ad eidem aſſerendam Apoſtolici Symboli Expoſitionem de qua agimus, id unum addidiſſe ſufficiat, ipſum de deſcenſu Chriſti ad inferos apertam inſtituiſſe mentionem libro primo contra Eutychetem ſ. 3. item libro ſecundo ſ. 9., ac demum in Symbolo quod Athanaſianum vocant: ipſum enim Queſnellius in Appendice ad Diſſertationem 14. in Opera Sancti Leonis Magni ab eodem Vigilio prodiiſſe nervis omnibus demonſtrare contendit; ac praeſertim auctoritate codicis Thuanei, in quo praeter Dialogum adverſus Arianos, Sabellianos, & Photinianos ſub Athanaſii nomine a Vigilio editum, proxime legitur Symbolum Athanaſianum ſub hoc titulo: *Fides dicta a Sancto Athanaſio Epiſcopo*, quod quanti faciendum ſit ex infra dicendis ad hunc locum, cuique conſtabit; cum caeteri Afri illum articulum conſtanter omiſerint. pag. 722. Lit. H. pag. 727. Lit. D.

Atque haec pro Vigilio ſatis: proferamus modo quae ipſum antiqui hujuſce fetum Parentem negant, ut eruditus lector ſingulis pro utraque parte diligenter penſitatis, demum ſententiam ferat, cui hoc Opus revera ſit referendum. Ipſa nobis vel ſola erit ad genuinum auctorem probandum ſatis. Primo igitur quaedam Scripturarum loca ſub varia verſionum forma ab Athanaſio noſtro prolata ſunt, quae ſi ad Vigilii lectionem referantur, toto caelo diſcrepant inter ſe. Rem exemplis illuſtremus. Vigilius lib. 7. de Trinita- Tom. VIII

te

Tom. VIII Bibl. Patrum pag. 789. Lit. A.

te, qui inſcribitur: *de Profeſſione regulae Catholicae cum increpatione haereticorum:* haec habet: *Unde prius nobis maxima cura fuit docendi de tam admirabili, regalique decreto, in quo omnibus gentibus praemium vitae aeternae promittitur, dicente Domino:* Euntes baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: *vere ego in hoc ſatis admiror, & ſtupore mentis diutius intentus collaudo tantam Sacratiſſimae Trinitatis gloriam in duodecim penitus verbis diſtinctionum, vel ſyllabis breviter fuiſſe expoſitam.* Et ita hunc locum recitat pag. 725 G. 745 F. 752 C. 753 H. 767 H. 769 C. 772 E. 773 H. 775 D. 777 F. 782 D. 786 A. 789 A. & E. 792 F. ac demum 799 F. At in noſtra fidei Expoſitione nec pari certe verborum numero, nec eadem omnino locutione illa ſententia concepta eſt; legitur enim *Ite baptizate gentes unguentes eas in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Haec lectio, ut vides, veterem illam verſionem exhibet, quae primis Eccleſiae ſaeculis obtinere coepit ſub veteris ac Italicae nomine. Ex ea (ſi conjecturis locus eſſet) originem duxiſſe dicerem Gnoſticorum de Baptiſmo impiam doctrinam, cum illi aquam ſolam negligentes, oleum cum ipſa miſcendum omnino cenſerent. Audiamus hac de re Sanctum Irenaeum lib. 1. adverſus haereſes cap. 17. *Quidam,* inquit, *eorum adducere quidem ad aquam ſupervacaneum eſſe dicunt, admiſcentes autem oleum & aquam in unum cum quibuſdam profanis dictionibus, ſimilibus quae ſupra diximus, mittunt ſuper eorum caput, qui ſacrantur: & hoc eſſe redemtionem volunt: ungunt autem & ipſi opobalſamo:* Hujuſmodi illinitiones non improbat Sanctus Doctor, ſed tantum illa profana verba quae in collatione Baptiſmi Gnoſticos protuliſſe teſtatur. Nam ut obſervat Fev-Ardentius ad hunc locum, non eo nomine illos damnat Irenaeus, quod ungerent opobalſamo; id certe non ſegniter facturus, ſi in hoc ab Apoſtolica traditione declinaſſent; ſed illos increpat tantummodo eo quod horrendas in Deum blaſphemias evomerent. Apoſtolicam dixi traditionem; nam vel a primis Eccleſiae temporibus in baptizando a Catholicis unctiones

nes

nes uſitatas lego in Epiſtola LXX. Divi Cypriani ad Januarium, in qua haec habentur: *Ungi quoque neceſſe eſt eum qui baptizatus ſit, ut accepto Chriſmate, ideſt unctione eſſe unctus Dei, & habere in ſe gratiam Chriſti poſſit.* Item in Auctore libri de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 2. ubi ait: *Pontifex ad matrem adoptionis accedit* (hoc eſt ad Baptiſmatis fontem) *ejuſque aquam ſacris invocationibus conſecrans, & eam trina unguenti vim maximam habentis purificandi per modum Crucis effuſione perficiens.* Tertullianus quoque lib. de Baptiſmo cap. 6. *Hic* ..... inquit, *figura praeceſſit. Sic enim Joannes ante praecurſor Domini fuit: praeparans vias ejus: ita & Angelus Baptiſmi arbiter ſuperventuro Spiritui Sancto. Nam ſi in tribus teſtibus ſtabit omne verbum quanto magis, dum habemus per benedictionem eoſdem arbitros fidei, quos & ſponſores ſalutis, ſufficit ad fiduciam ſpei noſtrae etiam numerus nominum Divinorum? Cum autem ſub tribus & teſtatio fidei, & ſponſio ſalutis pignerentur; neceſſario adiicitur Eccleſiae mentio: quoniam ubi tres, ideſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, ibi Eccleſia, quae trium corpus eſt. Exinde egreſſi de lavacro perungimur benedicta unctione de priſtina diſciplina, qua ungui oleo de cornu in ſacerdotium ſolebant.* Et Conſtitutionum lib. 6. cap. 16. de divina Sancti Baptiſmi initiatione: *Tu igitur Epiſcope, ad illam formam caput eorum qui baptizantur, ſive viri ſint, ſive mulieres, unges oleo ſancto, in figuram ſpiritualis Baptiſmi. Deinde aut tu, Epiſcope, aut tibi ſubjectus Presbyter, ſacram ſuper eos proferens nominatim invocationem Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, baptizabis eos in aqua.* Infra vero cap. 17. *Baptiſmus igitur in mortem Jeſu datur; & aqua adhibetur pro ſepultura; oleum pro Spiritu Sancto.*

pag. 269.

pag. 226.

Item lib. 7. cap. 22 *De Baptiſmo autem, Epiſcope, aut Presbyter jam quidem antea conſtituimus, & nunc vero dicimus quia ita baptizabis, ſicut Dominus injunxit nobis dicens.* Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; docentes eos ſervare omnia quaecumque mandavi vobis; *in nomine Patris,*

qui

qui miſit ; Chriſti , qui venit ; Spiritus Sancti , qui teſtimonium perhibuit . Ungues autem prius oleo Sancto ; deinde baptizabis aqua ; & tandem ſignabis unguento ; ut oleum quidem ſit participatio Spiritus Sancti, aqua vero ſymbolum mortis , unguentum autem ſigillum pactionum . Quod ſi neque oleum adſit , neque unguentum , ſufficit aqua & ad unctionem , & ad ſigillum , & ad confeſſionem morientis , ſeu commorientis . Ab aliorum auctoritatibus allegandis abſtineo, ne ſim longior quam par eſt. Si quis tamen eas velit conſulere, adeat eundem Pſeudo-Clementem lib. 3. Conſt. Apoſt. cap. 15. 16. & 17. & lib. 3. Recog. & Epiſt. 3. Item Auctorem quaeſtionum apud Juſtinum Martyrem Quaeſtione 137. Theophilum Antiochenum lib. 1. ad Autolycum . Origenem lib. 5. in Epiſt. ad Ro. Chryſoſt. Hom. 12. in 1. ad Corinth. & Homil. 6. ad Coloſſ. Baſilium lib. de Spiritu Sancto cap. 27. Nazianzenum Oratione in Sanctum Baptiſma . Item laudatum Tertullianum lib. de Carnis reſurrectione, & lib. 1. contra Marcionem , Arnobium in commentariis Pſal. 4. 22. 82. 90. 132. & 134. Optatum Milevitanum lib. 2. 3. & 7. contra Parmenianum, Auguſtinum 15. de Trinitate cap. 16. & lib. 4 de Symbolo cap. 1. & Tractatu 44. in Joannem, Ambroſium lib. 1. de Sacramentis cap. 1. & 7. Hieronymum Dialog. contra Luciſe. Hoc unum tamen adhuc placet adiicere nempe antiquiſſimum hujuſmodi ritum forte in Eccleſia tum primum obtinere coepiſſe, cum in Italicam Evangeliorum verſionem illud unctionis aſſumentum invectum eſt, vel potius e contra fuiſſe additum in nonnullis Evangeliorum codicibus *unguentes* propter eundem illinendi morem jampridem receptum in Eccleſiis, vel ab ipſo Apoſtolorum aevo ut ſupra probatum eſt. Sed caetera quae Vigilio adverſantur breviter proſequamur . Hic

Tom. VIII. *Bibl. Patrum pag.* 781. *Lit.* E.

lib. 3. de Trinitate cap. 12. ℣. 10. illud Zachariae teſtimonium a Joanne allatum cap. 19. ℣. 37. ſic refert : *videbunt in quem tranſpunxerunt* ; at in noſtro Symbolo juxta Hebraicam veritatem, atque lectionem vetuſtiſſimi codicis Evangeliorum Italicae verſionis, quam prope diem publici juris facturi ſumus, ita legere eſt : *Videbunt in quem compunxerunt*.

runt; Verſione Arabica non diſcrepante, quae habet *Videbunt quem pupugerunt*. In LXX. legimus ἐπιβλέψονται πρός μὲ ἀνθ᾽ ὧν ἐνωρχήσαντο quod interpretati ſunt Latini: *Et aſpicient ad me, pro his quae illuſerunt, ſive inſultaverunt mihi*, ut docet Hieronymus. Praeterea decantatum illud de Trinitate Teſtimonium: *Tres ſunt qui teſtimonium perhibent in caelo, Pater, Verbum, & Spiritus, & ii tres unum ſunt*; pro ut ab Athanaſio noſtro allegatur, certe non iiſdem conceptum vocibus apud Vigilium invenias; ipſe enim lib. I. de Trinitate ſic habet: *Tres ſunt qui teſtimonium dicunt in caelo, Pater, & Verbum, & Spiritus, & in Chriſto Jeſu unum ſunt*. Item ad calcem ejuſdem libri: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in caelo, Pater, Verbum, & Spiritus, & in Chriſto Jeſu unum ſunt*. Et lib. X. legit ut primo loco jam ſupra retulimus.

Quoniam vero modus in rebus habendus eſt, de Scripturarum teſtimoniis plura loqui minime volumus: ſed ad ea quae in noſtra Symboli Expoſitione ediſſeruntur pauliſper animum placet convertere; atque periculum facere an ipſa ad aetatem dignoſcendam nos quoquomodo manuducere poſſint. Igitur ſub initium noſter Athanaſius ubi ait: *Quoniam quamvis velle noſtrum ſit, perficere tamen ſine illo non invenimus*; procul dubio reſpexit ad illa Pauli verba Epiſtolae ad Romanos cap. 7. ℣. 18. *Nam velle adjacet mihi; perficere autem bonum non invenio*. Quoniam vero idem Gentium Apoſtolus ad Philippenſes cap. 2. ℣. 13. ſcribit: *Deus enim eſt qui operatur in nobis, & velle, & perficere*; quae recto tramite noſtri Athanaſii ſententiae videntur adverſari; ut illius aetatem atque doctrinae rationem aſſequamur, animadvertendum eſt, quod antequam Pelagiana haereſis ex Origenis fontibus emanaret, ac in eo ſtare indifferentiam arbitrii traderet, ut nempe potentia volendi eſſet a Deo, non autem ipſe actus voluntatis, non adeo ſcrupuloſe cum Latini, tum Graeci Patres locuti ſunt: ipſorum enim animis cum alte inſediſſet Catholicus ſenſus, bona fide velle noſtrum juxta Pauli ſententiam, perficere autem Dei eſſe, quandoque dixerunt: intelligendo videlicet, quod licet motum voluntatis Deus in nobis efficeret, adhuc tamen ſtaret ar-

Tom. VIII. Bibl. Patrum pag. 775 Lit. E. *pag. 776. Lit. C.* *pag. 713. Lit. H.*

bitrii noſtri libertas, qua cum gratia Divina optime copulatur. Poſtquam vero Pelagius ſuam vafritiam detexit docuitque, ut refert Divus Auguſtinus libro de Gratia Christi: *Quod poſſumus omne bonum facere, dicere, cogitare illius eſt qui hoc poſſe adjuvat: quod vero bene vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, noſtrum eſt: Quod loqui poſſumus, Dei eſt: quod vero bene vel male loquimur, noſtrum eſt;* tunc Patres preſſius loqui coeperunt, & Pelagianorum errorem late ſunt inſecuti; praeſertim vero Divus Auguſtinus in laudato Opere de Gratia Chriſti, in quo Apoſtoli mentem egregie exponens, ſic haereticos illos aggreſsus eſt: *Non ait*, Deus enim eſt, qui operatur in vobis poſſe, *tamquam ipſi jam velle, & operari per ſe ipſos habeant, nec in his duobus adjutorio ejus indigeant; ſed ait*, Deus enim eſt, qui operatur in vobis & velle & perficere; *vel ſicut in aliis, & maxime Graecis codicibus legitur*, & velle, & operari. *Videte ſi non Apoſtolus gratiae Dei futuros adverſarios* Origenem, & Pelagium *Sancto Spiritu tanto ante praevidit &c.* Quamobrem hanc Apoſtolici Symboli enarrationem poſt Auguſtinum in Africa ſcriptam fuiſſe a veritate videtur prorſus alienum; praeſertim cum poſt damnatam non ſemel in Occidente Pelagii haereſim, ac demum etiam in Concilio Epheſino an. 431. in ullo Catholico Scriptore fruſtra requiras eam locutionis formulam, quae velle noſtrum eſſe profiteatur. Hieronymum tamen exceptum velim, qui in Epiſtola ad Demetriadem de Virginitate ſervanda ſcribit: *Et tamen velle, & nolle noſtrum eſt*, ſed ſtatim contemperat ſubdens *ipſumque quod noſtrum eſt, ſine Dei miſeratione noſtrum non eſt*. Item contra Pelagianos ſub initium: *noſtrum*, inquit, *incipere, illius perficere*; atque infra in eodem libro: *Liberum arbitrium in eo tantum eſt ut velimus atque cupiamus, & placitis tribuamus aſſenſum. Jam in Domini poteſtate eſt, ut id quod cupimus, quod laboramus, ac nitimur, illius ope, & auxilio implere valeamus*. Illud tamen *velle* & *incipere*, quod nobis & libero tribuit arbitrio, quis Semipelagiano ſenſu dictum putabit a Hieronymo eo ipſo in Opere, quod contra Pelagianos ſcribit?

Cap. 4. Cap. 5. Lib. 3.

bit? Immo erat illud *velle noſtrum eſt* veluti quaedam locutionis ratio a pleriſque uſurpata, quae uſque ad Pelagianas fraudes, & Hieronymi tempora innoxio ſenſu perduravit. Scilicet verborum omnium inſidiae ac decipulae adhuc detectae omnes non erant: atque hinc Auctorem noſtrum a pravi dogmatis calumnia liberamus; ac ejus aetas ante Semipelagianam haereſim figenda eſſe videtur, praeſertim ſi brevitatem enucleati Symboli examinemus, cum ipſum Sanctae Eccleſiae mentione claudatur. Hoc vel unum argumentum noſtram Expoſitionem Vigilii fetum non eſſe ſatis evincere poſſe crediderim, cum ipſe libro contra Eutychetem ſcribat: *Caro quippe in nobis moritur; unde & in Symbolo* pag. 734.
carnis reſurrectionem, non animae confitemur, quam eſſe im- §. 17. Lit. B.
mortalem credere jubemur: & libro nono de Trinitate, cum Verſ. 1.
caeteros articulos memoret qui in noſtro Symbolo deſiderantur, e contra ſileat de Eccleſia; cum inquit: *cujus enim exſpectamus, in bujus morte & ſanguine remiſſionem peccatorum conſecuturi: reſuſcitandos nos ab eo in bis corporibus, & in eadem carne in qua natus eſt, paſſus, & mortuus, & reſurrexit, animam cum bac carne accepturi ab eo, ut vitam aeternam pro bonis meritis, aut ſententiam pro peccatis aeternam, boc placuit. Amen.* Quare animadvertit Uſſerius lib. de Symbolis, non in principio ſolum, ſed etiam in Confeſſionis hujus fine (nempe laudato libro nono) Vigilium ſecutum fuiſſe Damaſi Symbolum, quod Operibus Hieronymi Tomo IV. Eraſmianae, & IX. Victorianae editionis inſertum eſt, quodque hiſce verbis eundem fere in modum concluditur, nempe: *In bujus morte & ſanguine credimus emundatos nos, & ab eo reſuſcitandos die noviſſimo in bac carne, in qua nunc vivimus & babemus ſpem nos conſecuturos praemium boni meriti, aut poenam pro peccatis aeterni ſupplicii.* Utcumque vero ea ſe res habeat, utcumque Vigilii ſententia difficultatibus ſcateat inmanibus; fateor tamen ingenue quod tanta eſt ea qua prae Athanaſio Alexandrino Epiſcopo, vel illo Presbytero Cyrilli Alexandrini ſororis filio, pollet auctoritas; ut jure optimo ipſa debeat caeteris anteponi, quouſque noſtri Scriptoris larva recedat ac

ge-

genuinus catechetici Sermonis Parens tandem ab eruditis detegatur. Quoniam vero quis forte diligentiam noſtram requireret, ſi de brevitate noſtri Symboli nil aliud adderemus; placet hac in re paulum immorari, ac nonnulla additamenta ad tradinam revocare, quae ad deturbandas haereſes pro temporum opportunitate in Romanum Symbolum fuerunt invecta.

Articulum de Sancta Eccleſia in nonullis Symbolis, ut in noſtro, poſtremo loco veniſſe haud dubito. Certe ignotus Auctor qui ſub Auguſtini nomine jamdudum venit, haec habet *Hujus concluſio Sacramenti* (nempe Symboli, ut apud noſtrum Athanaſium) *per Sanctam Eccleſiam terminatur, quoniam ſi quis abſque ea inventus fuerit, alienus erit a numero filiorum; nec habebit Deum Patrem, qui Eccleſiam non habuerit matrem*. Similia leguntur in duobus ſermonibus praecedentibus; nec non in libris de Symbolo ad Cathecumenos quorum Auctor ſub finem libri ſecundi *Sancta*, inquit, *Eccleſia in qua omnis hujus Sacramenti terminatur auctoritas*. Et libro tertio ejuſdem Operis ait: *Ideo Sacramenti hujus concluſio per Eccleſiam terminatur*. Praeterea Auguſtinus ipſe Sermone 215. in redditione Symboli id ipſum docet cum inquit: *Videtis certe Cariſſimi, etiam in ipſis Sancti Symboli verbis, quomodo concluſioni omnium regularum, quae ad Sacramentum fidei pertinent, quaſi ſupplementum quoddam additum ut diceretur per Sanctam Eccleſiam.* Fateor tamen ingenue hunc ordinem in Auguſtino conſtantem non eſſe: quem ſiquando reperias, tunc caeteri articuli ab ipſo praeponuntur. Ut fit etiam ab Auctore Orationis ad Cathecumenos, contra Judaeos, Paganos, & Arianos, ſub Auguſtini nomine vulgatae, in qua primo loco *Remiſſionis peccatorum*, ſecundo *Reſurrectionis*, tertio *Vitæ aeternae*, quarto demum *Eccleſiae* enarratur articulus. Itemque ab Ario Alexandrinae Eccleſiae presbytero qui orthodoxum ſe ſimulans in eo Symbolo quod Conſtantino Imperatori obtulit, ita profeſſus eſt: *Et in Sanctum Spiritum, & in carnis reſurrectionem, & in regnum caelorum, & in unam Catholicam Dei Eccleſiam, quae aſi-*

Serm. 3. & 4. de Symb. To. 6. Edit. Maurinae.

Tomo V. pag. 663.

nibus

nibus uſque ad fines eſt. Conſule Socratem Hiſt. lib. 1. κεφ κς. & Sozom lib. 2. κεφ κξ. Demum Cyrillus Hjeroſolymitanus Cath. 18. prius meminit *remiſſionis peccatorum*, deinde *unius Sanctae Eccleſiae Catbolicae*. Quod profecto ab Auctore noſtro minime praeſtitum eſt, ſed in ejus Expoſitione articulus de Sancta Eccleſia excipit eum, quo continetur fidei *in Spiritum Sanctum* profeſſio, ac ſtatim ſermo concluditur abſque remiſſionis peccatorum, & vitae aeternae interjecta mentione. Quamobrem aut haec enarratio detruncata ad nos venit, licet Antiquarius eam clauſula *Amen* terminaverit, aut ille qui hic competentem, imbuendum ſuſcepit ſequentium articulorum Expoſitionem, altero ſermone ſubinde proſecutus abſolvit, ut in more fuit Cyrillo Hieroſolymitano in ſuis Cathecheſibus. Niſi malimus dicere quod credendarum rerum articuli in Spiritu Sancto deſinant per Sanctam Eccleſiam, quodque duo ſequentes, de peccatorum remiſſione, & vita aeterna ſperanda ad interrogationes adhiberi ſolitas in baptiſmo referri poſſint, ut coniicitur ex Martyre Cypriano qui Epiſt. 76. ad Magnum ait: *Quod ſi aliquis illud opponit ut dicat eandem Novatianum legem tenere quam Catholica Eccleſia, eodem Symbolo quo & nos baptizare, eumdem noſſe Deum Patrem, eumdem Filium Chriſtum, eumdem Spiritum Sanctum, ac propter hoc uſurpare eum poteſtatem baptizandi poſſe quod videatur in interrogatione Baptiſmi a nobis non diſcrepare, ſciat quisquis hoc opponendum putat primum non eſſe jam nobis & Schiſmaticis Symboli Legem, neque eamdem interrogationem. Nam cum dicunt: Credis remiſſionem peccatorum, & vitam aeternam per Sanctam Eccleſiam? mentiuntur in interrogatione, quando non habeant Eccleſiam; tunc deinde voce ſua ipſi confitentur, remiſſionem peccatorum non dari, niſi per Sanctam Eccleſiam poſſe*. Item Epiſt. 70. ad pag. 269.
Januarium. *Ipſa interrogatio quae fit in baptiſmo teſtis eſt veritatis. Nam cum dicimus, Credis in vitam aeternam, & remiſſionem peccatorum per Sanctam Eccleſiam?* Sed fieri etiam, poteſt ut Athanaſius noſter Tertullianum fuerit imitatus qui in libro quem ſcripſit contra Praxeam, Symboli Apoſtolici

arti-

articulos per ſumma capita recenſens, in Spiritu Sancto deſinit, adjecta ſubobſcure Eccleſiae mentione. *Unum*, inquit, *Deum credimus, ſub hac tamen diſpenſatione, quam aeconomiam dicimus, ut unici Dei ſit & Filius ſermo ipſius, qui ex ipſo proceſſerit, per quem omnia facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Hunc miſſum a Patre in Virginem, & ex ea natum hominem, & Deum, Filium hominis, & Filium Dei cognominatim Jeſum Chriſtum. Hunc paſſum, hunc mortuum, ac ſepultum ſecundum Scripturas, & reſuſcitatum a Patre, & in caelos reſumptum, ſedere ad dexteram Patris, venturum judicare vivos & mortuos. Qui exinde miſerit ſecundum promiſſionem ſuam a Patre Spiritum Sanctum Paracletum Sanctificatorem fidei eorum, qui credunt in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum.* Item libro de Velandis Virginibus addito tantum reſurrectionis articulo caeteros ſilentio praetermittit, ait enim: *Regula quidem fidei una omnino eſt, ſola immobilis, & irreformabilis credendi ſcilicet in unicum Deum omnipotentem mundi conditorem, & Filium ejus Jeſum Chriſtum, natum ex Virgine Maria, crucifixum ſub Pontio Pilato, tertia die reſuſcitatum a mortuis, receptum in caelis, ſedentem nunc ad dexteram Patris, venturum judicare vivos & mortuos per carnis etiam reſurrectionem.* Demum de Praeſcript. haereticorum cap. 13. pari jure Symbolum claudit dicens: *Regula eſt autem fidei, ut jam hinc quid defendamus profiteamur, illa ſcilicet qua creditur unum omnino Deum eſſe, nec alium praeter mundi conditorem; qui univerſa de nihilo produxerit; per Verbum ſuum primo omnium demiſſum: Id Verbum Filium ejus appellatum in nomine Dei varie viſum a Patriarchis, in Prophetis ſemper auditum, poſtremo delatum ex Spiritu Patris Dei, & virtute in Virginem Mariam, carnem factum in utero ejus, & ex ea natum egiſſe Jeſum Chriſtum: exinde praedicaſſe novam legem; & novam promiſſionem Regni caelorum: virtutes feciſſe: fixum cruci; tertia die reſurrexiſſe; in caelos ereptum ſediſſe ad dexteram Patris; miſiſſe vicariam vim Spiritus Sancti, qui credentes agat: venturum cum claritate, ad ſumendos Sanctos in vitae aeternae & promiſſorum caeleſtium fructum, & ad profanos adjudicandos igni perpetuo, facta utriuſ-*

Cap. 5.

pag. 206.

triuſque partis reſuſcitatione, cum carnis reſtitutione. Haec Regula &c. Nec aliquem moveat Tertullianum ſemper in recitando Symbolo variaſſe; cum Apoſtoli eam fidei formulam ſcriptis minime commendarint, propter diſciplinam arcani, neque a Cathecumenis eam ſcribi permiſerint uſque ad quintum ſaeculum, ut conſtat ex Divo Auguſtino, qui de *pag.* 548.
Symb. ad Cathecum. Tomo 6. ait: *Quotidie dicite apud vos: Symbolum nemo ſcribit, ut legi poſſit; ſed ad recenſendum: ne forte deleat oblivio, quod tradidit diligentia, ſit vobis codex veſtra memoria.* Et Sermone 58. in Matthaeum Tomo 5. *In* *pag* 341.
Eccleſia, inquit, *ad altare Dei quotidie dicitur iſta Dominica Oratio, & audiunt illam Fideles, Symbolum quotidie non auditis.* Item Sermone 7. in traditione Symboli: *Nec ut eadem verba Symboli teneatis ullo modo debetis ſcribere, ſed audiendo perdiſcere, nec, cum didiceritis, ſcribere; ſed memoria ſemper tenere atque recolere .... nec in tabulis, vel in aliqua materia; ſed in corde ſcribitur.* Hic autem Eccleſiae mos oppido liquet etiam ex Facundo Ermianenſi lib. 8. cap. 7. & (ut retro elapſa ſaecula percurramus) ex Beato Irenaeo lib. 3. cap. 4. &c. ex Beato Hieronymo Epiſt. ad Pammachium contra errores Joannis Hieroſolymitani, & ex laudato Beato Auguſtino lib. de Fide & Oper. cap. 9., ex Beato Ambroſio Epiſt. 81. ad Syricium, ex Beato Leone Epiſt. 13. ad Pulcheriam, ex Ruffino & ex Beato Maximo in Expoſitione Symboli. Quo factum eſt ut idem Tertullianus laudatis locis, & Irenaeus lib. 1. cap. 2. & lib. 2. cap. 1. itemque Origenes lib. 1. Periarchon, & in Dialog. contra Marcion. adverſus haereticos Apoſtolicum Symbolum per ſumma tantum capita non verbatim protulerint, ne laudabilem Eccleſiae morem violarent. Ex dictis ergo in promptu eſt reſponſio ad ea quae habet Dupinius Tomo 1. Novae Bibliothecae; cum agens de Symbolo Apoſtolorum, haec ſcribit: *Si ab Apoſtolis compoſitum eſſet Symbolum, ubique in ſingulis Eccleſiis, & omnibus ſaeculis fuiſſet idem; ſinguli ad verbum illud didiciſſent Chriſtiani; in ſingulis Eccleſiis eodem modo recitatum eſſet: demum iiſdem verbis ab omnibus auctoribus relatum fuiſſet. Id autem eſt omnino falſum; quia certum eſt non modo in ſecundo & tertio Eccleſiae ſaeculo; ſed & in*

 quar-

quarto plura exſtitiſſe Symbola, *eaque ſingula*, *licet doctrina eadem*, *verbis fuiſſe varia*. Haec enim nihil evincunt, cum Symbolum memoriae mandatum ad quintum uſque Chriſti ſaeculum a fidelibus ſcribi religioni duceretur; ac tantum per ſumma capita illud antiqui Patres proferrent. Certe ordo articulorum in omnibus Symbolis conſtans eſt, ac doctrina eadem in omnibus, adeo ut ab uno eodemque fonte diverſas formulas pro loci ac temporum ratione emanaſſe veritati ſit conſentaneum.

Sed ad noſtrae Expoſitionis Symbolum ſermonem iterum convertamus. Hoc ergo in Spiritu Sancto deſinit (adjecta tamen Sanctae Matris Eccleſiæ mentione) ad inſtar Nicaeni, quod nihil aliud eſſe videtur quam Apoſtolici declaratio, ut colligitur ex Epiphanio ſcribente ſub finem Anchorati: *Haec fides a Sanctis Apoſtolis tradita eſt & in Eccleſia, civitate Sancta, ab omnibus Sanctis ſimul Epiſcopis ſupra trecentos ac decem numero praeſcripta*. Porro ratione doctrinae in antiquo Apoſtolorum Symbolo comprehenſae Apoſtolica; explicationis vero a 318. Patribus ſuperadditae Nicaena fides jure merito dici poteſt. Ab Occidentalibus etiam Eccleſiis, ut inquit Uſſerius, longius illud Symbolum & Apoſtolicum habitum, & Nicaenum nominatum fuit. Sic enim habet Ordo Romanus in Praefatione Symboli hujus recitationi praemiſſa ante adminiſtrationem Baptiſmi: *Audite ſuſcipientes Evangelici Symboli Sacramentum a Domino inſpiratum*, *ab Apoſtolis inſtitutum*: *cujus pauca quidem verba ſunt*, *ſed magna myſteria*. Et in ſacrae Coenae celebratione Latina Miſsa, quae circa an-
Miſſ. edit. num DCC. in uſu fuit, de eodem adiicit. *Finito Symbolo Apo-*
Argentin. *ſtolorum*, *dicat Sacerdos Dominus vobiſcum*. Symbolum au-
ann. 1557. pag. 41. tem, de quo hic ſermo eſt, a Nicaenae Synodi Patribus fuiſſe
pag. 9. editum ibidem probat laudatus Uſſerius. Sed brevitatem noſtri Symboli paullo fuſius expendamus, quod non ingratum futurum puto, immo jucundum maxime. Ergo vox *Ca-*
§. 6. *tholicam*, quae deeſt in ipſo, nec in Apoſtolico legebatur,
pag. 248. ut novimus ex Cypriano Epiſt. 76. Item non apparet in Orientali, Romano, & Aquilejenſi, quamvis huic poſtremo perperam inſeratur a Pamelio, contra quamplurium optimae

mae notae Manuſcriptorum fidem. Ruffinus certe hanc vocem non explicat: nec fuit in Africano Symbolo, ut manifeſtum eſt ex libro, quem Sanctus Auguſtinus adhuc Preſbyter ſcripſit de eodem Symbolo, ubi ait: *Credimus & Sanctam Eccleſiam* utique *Catholicam*. Hic Commentarius luculenter oſtendit vocem *Catholicam* in Symbolum nondum fuiſſe invectam. Praeterea omittitur illud vocabulum a Marcello Ancyrae Epiſcopo, qui coram Sancto Julio Pontifice Apoſtolicum Symbolum Romae profeſſus eſt: item ab eodem Auguſtino lib. de Fide & Symbolo ad Cathecumenos. Demum Pacianus ad Symphro: de *Catholicae* nomine ſcribit: *Sub Apoſtolis, inquies, nemo Catholicus vocabatur. Eſto, ſic fuerit. Vel illud indulgeo. Cum poſt Apoſtolos haereſes extitiſſent, diverſiſque nominibus columbam Dei, atque Reginam lacerare per partes, & ſcindere niterentur; nonne cognomen ſuum Eccleſia poſtulabat, quae incorrupti populi diſtingueret unitatem; ne intemeratam Dei Virginem error aliquorum per membra laceraret? nonne appellatione propria decuit caput principale ſignari? Ego forte ingreſſus populoſam Urbem hodie cum Marcionitas, cum Apollinariacos, Cataphrygas, Novatianos, & caeteros ejuſdem comperiſſem, qui ſe Chriſtianos vocarent, quo cognomine eorum congregationem meae plebis agnoſcerem, niſi Catholica diceretur*. Quoniam vero in Concilio Nicaeno ſancitum eſt, ut ea Chriſti Religionis vera Eccleſia haberetur, cui nomen Catholicae ſeu Univerſalis conveniret; hinc ut opinor Romana Sedes omnium Eccleſiarum Mater & Magiſtra occaſionem arripuit illud vocabulum in Apoſtolicum Symbolum inferendi; quamvis ea appellatio non tunc nata, ſed noſtrae Eccleſiae jam indita fuerit vel ab Apoſtolorum aevo cum τῆς ἁγίας καθολικῆς ἐκκλησίας mentionem fecerint Smyrnaei in Epiſt. de Martyrio Sancti Policarpi, (ut videre eſt apud Euſebium lib. 4. Hiſt. cap. 15.) itemque Sanctus Ignatius Martyr in Epiſtola ad eoſdem Smyrnaeos.

Quoad vero ſequentem articulum de Sanctorum communione; adnotaſſe ſufficiat etiam in Ruffini Symbolo non apparere, cum poſt illud de Spiritu Sancto mox habeat *Sanctam Eccleſiam: remiſſionem peccatorum*. Porro ea verba in

Apoſtolicum Symbolum fuerunt inſerta, ut exponerent quid
cap. 6. n. 18. pag. 277. Sanctae Eccleſiae nomine intelligeretur. Audiamus Auctorem Hiſt. Symb. Apoſtolici: *Articulo*, inquit, *de Sancta Catholica Eccleſia Appendicis loco additur proximus de communione Sanctorum, qui in nullo Symbolo ante Divi Auguſtini aevum reperitur, imo ne in ejus quidem, ut ego arbitror, cum in Enchiridio ad Laurentium cap. 66. diſerte affirmet, poſt commemorationem Sanctae Eccleſiae in ordine confeſſionis poni remiſſionem peccatorum. Veroſimile tamen eſt circa haec tempora vel paullo poſt partem iſtam Symbolo acceſſiſſe, idque non ex eo tantum quod compareat in Symbolo recitato in Homilia quadam Auguſtino adſcripta (* Sermone de tempore 123. *) verum & ex hoc quod iſtis temporibus occaſio ſe obtulerit, quae ejus additionem ſuadere poſſet, Schiſma, inquam Donatiſtarum.*
pag. 284. Huic adde etiam Chriſtianum Lupum qui Praeſcript. cap. 13. haec notat: *Ruffinus ..... omittit* Communione Sanctorum. *Etiam Orientalis Eccleſia videtur iſta verba non habuiſſe. Etenim Conſtantinopolitana Synodus, quae Nicaenam Synodum non dumtaxat per nova contra Macedonianos, & Apollinariſtas additamenta, ſed etiam ex Apoſtolico Symbolo ſupplevit, iſta verba praetermiſit.*

Demum articulus de Vita aeterna licet in nonnullis Orientis Eccleſiis haberetur, ut videre eſt apud Cyrillum Hieroſolymitanum Cathecheſi VIII. ubi ait: *Haec de vita aeterna dicta ſunt hactenus: quod eſt eorum quae profitemur in fide ultimum documentum, atque terminus*: itemque apud Epiphanium in Anchorato; tamen in Occidentis Symbolis
Petrus Chryſologus ſerm. 57. minus obtinuit: quamvis enim legatur a Petro Ravennate, & ab Auctore libri de Symbolo apud Divum Auguſtinum; tamen in Marcelli Ancyrani Symbolo ab Epiphanio relato Haereſi LXXII. primum apparet. Porro in Aquilejenſi Symbolo deerat, ut novimus ex Ruffino, qui
pag. 209. num. 41. in Expoſitione praecedentis articuli ait: *Sed & ultimus iſte ſermo, qui reſurrectionem carnis praenuntiat, ſummam totius perfectionis ſuccincta brevitate concludit; quamvis etiam de hoc non ſolum a gentibus, ſed etiam ab haereticis fides impugnetur Eccleſiae.* Et in Apologia adverſus Hieronymum,

Aqui-

Aquilejenſem Eccleſiam *bujus carnis reſurrectione finem Symboli* feciſſe nos docet. Hieronymus quoque Epiſtola 61. ad Pammachium, adverſus errores Joannis Hieroſolymitani: *In Symbolo*, inquit, *fidei, & ſpei noſtrae, quod ab Apoſtolis traditum, non ſcribitur in charta, & atramento, ſed tabulis cordis carnalibus, poſt confeſſionem Trinitatis, & unitatem Eccleſiae omne Chriſtiani dogmatis ſacramentum carnis reſurrectione concluditur*. Hos ſecutus eſt Venantius Fortunatus Pictavienſis Epiſcopus, qui *CARNIS RESURRECTIONE ſummam perfectionis concludi* teſtatur. Id ipſum etiam Maximus Taurinenſis tradidit per ea verba *bic religionis noſtrae finis, baec ſumma credendi eſt*. Et Auctor Sermonis 119. de Tempore, Divo Auguſtino falſo tributi, ad hocce reſurrectionis capitulum ſcribit: *Iſte jam finis eſt: ſed finis ſine fine erit Reſurrectio carnis*.

Haec dicta ſunto, ut cuique conſtet Symbolorum, Romanum ſeu Apoſtolicum quod in noſtra enarratione enucleatur, omnium fuiſſe breviſſimum. Rationem reddit Ruffinus Aquilejenſis Presbyter in Prooemio ſuae Expoſitionis, cum inquit: *Illud non importune commonendum puto; quod in diverſis Eccleſiis aliqua in bis verbis inveniuntur adjecta. In Eccleſia tamen urbis Romae boc non deprebenditur factum..... In caeteris autem locis quantum intelligi datur, propter nonnullos baereticos addita quaedam videntur, per quae novellae doctrinae ſenſus crederetur excludi*. Quamobrem Divus Ambroſius Epiſt. 81. ad Siricium ait: *Credatur Symbolo Apoſtolorum, quod Eccleſia Romana intemeratum ſemper cuſtodit, & ſervat*.

ENAR.

ENARRATIO
IN SYMBOLUM APOSTOLORUM
CUI TITULUS IN CODICE
Incipit Sancti ATHANASII de Symbolo.

UNA fides, ſed non in omnibus fidei una menſura eſt. Sic & in illa eremi via, cum divinae virtutis indultu populus angelico cibo aleretur, non erat omnibus manna, quod manna eſt; ſed aliis caeleſtem ſaporem incorrupta ſuavitate cuſtodientibus, viles quidam pepones, & triſtem caeparum acrimoniam AEgyptia [1] cruditate eructuabant: ſicque in unoquoque eorum

[1] Codex, *crudelitate eructuabant*: Fidenter reſtituimus in editione *cruditate*. Quid enim hic loci crudelitas cum caeparum acrimonia? Cruditatem autem ſtomachi ex aegra caeparum concoctione ſignificat, quam AEgyptiam dicit, quod AEgyptium caepe Hebraei quidam ſibi in deſerto prae manna augurarentur. *Eructuabant* pro *eructabant* veteribus eſt familiare; ut *tinguebat*, *unguebat*, & alia hujuſmodi. Quamobrem nihil immutandum eſſe cenſuimus.

rum erat non gratia accepti muneris, ſed propriae deſiderium voluptatis. [a] Securus itaque de inſtituti tui indole, manna hoc noſtrum caeleſtibus ferculis defero, confidens in Domino noſtro Jeſu Chriſto, quod is qui coepit te cibis ſuis alere, perſeverantis ſaporis perpetem gratiam tibi tribuat: quoniam, quamvis velle noſtrum ſit, perficere tamen ſine illo non invenimus.

[b] *Credo in Deum:* Initium Sacramenti confeſſione [2] credulitatis imbuitur [c] ut, per hoc immenſitas Dei, [3] qua comprehendi humanis ſenſibus non poteſt, adprobetur. Fidei enim ſecreto recondendum eſt, quod capacitatem aeſtimationis excedit.

Credo in Deum. Hic eſt Chriſtiani nominis titulus, hic humani fructus officii, duo in famulatu Dei, quae principalia in nobis habemus, offerre; cordis fidem, & oris confeſſionem: quia *corde creditur ad juſtitiam; ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Epiſt ad Roman. X. v. 10.

Credo in Deum. Hoc eſt, quod illum Gentium patrem [4] ab aeterno vitae prioris exemit, hoc, quod

2 Codex *credilitatis*, mendoſe.

3 Hanc lectionem non improbamus, ſi *quatenus*, aut *in quantum* ſignificet; magis tamen placeret *quae*, cum humanae mentis cognitio nec ſenſuum ope ſibi poſſit ullatenus ideam immenſitatis effingere.

4 Lege, ſodes, & meo periculo *a veterno* pro *ab aeterno*. Quo facilior librario lapſus, eo certior emendatio noſtra; nec aliter ſenſus conſtabit. Certe hoc factum cognatione litterarum B. & V. quas in antiquis monumentis unam pro alia ſaepe uſurpatas videmus, uti & dipthongos, ubi iis opus non erat. Sic *piaetas*, *praetium*, *foelix*, *ſae* &c. ut videre eſt in vetuſtiſſimo noſtri Capituli codice, Caſſiodorii Senatoris Complexiones exhibente, quem primum edidit Doctiſſimus Marchio Scipio Maffejus, litterariae Reipublicae decus ac ornamentum.

quod multiplicationem immenſi ſeminis fideli ſponſione firmavit; hoc, quod juſtitiae praemio manente uſque ad nos mercedem tranſmiſit, ſicut legimus. [d] *Credidit Abrabam Deo, & reputatur ei ad juſtitiam.*

[d] Jacobi II v. 23.

Credo in Deum Patrem. Dei nomini Paternum connectitur Sacramentum: inane enim erat & vacuum, Deum ſine Paterno vocabulo crediđiſſe. Hoc & gentes noverunt, & Daemones confitentur: nobis autem, quibus vita aeterna promittitur, ſalutare myſterium publicatur, ut credamus non in Deum tantum, ſed in Deum Patrem; quod & Patris nomen generale eſt ſine Deo, & Dei virtus minus clara ſine Patris nomine; ac per hoc ſine alterutro, & eo [5] utroque connexo, fundari non poteſt fides, niſi & Paterna generatio vim Deitatis teneat, & majeſtas Deitatis ſacramentum Paterni nominis non omittat.

Credo in Deum Patrem. [e] Confeſſio quae Patrem ſignat, ſtatim confitetur & Filium: vacat enim ſine alio aliud nomen; quia nomen Patris eſt Filius. Nemo, ſine generationis fide, appellat auctorem; quia gignentis nuncupatio, natura naſcentis eſt: ac ſic nullum [6] inter alterum gradum credas, cum utrumque in uno cognoſcas.

Credo in Deum Patrem: Catholicae fidei claram con-

5 Codex *utrumque*. Solaecum: emendari poterat *utrimque*; ſed nos libentius repoſuimus *utroque*, ut ſententia magis ſibi conſtaret, ac ad praecedens verbum *alterutro* referretur, quod pariter pro *utroque* hic uſurpatum fuiſſe nullus dubito.

6 Ex ſequentibus conficitur reſtituendam eſſe lectionem ſic: *inter alterutrum*; quod ſenſus id omnino requirat.

confeſſionem! Nullum interſtitium inter Deum & Patrem ponitur, nulla intercapedo ſervatur: [f] utriuſque nominis natura conjuncta eſt. Ut Deum credimus, confitemur & Patrem; connexorum vocabulorum tempora neſcientes: quia [7] Paternæ appellationis nuncupatio, a Dei confeſſione non diſtat. Si quis Deum non aeternum novit, Patrem aeſtimet non aeternum. f

Credo in Deum Patrem. [8] Hoc ipſum, quod ordo verborum, quamvis connexione conjuncta, Deum nominat, antequam Patrem, incorruptae fidei laudabile continet argumentum; ne quis pravae aeſtimationis errore [g] non ad unum omnia aeſtimet referri debere principium. Nam cum Deum dicimus primitus, & Patris nomen Dei nomini non avellimus; unum quidem auctorem prodimus, ſed eum, qui ex auctoritate eſt, coaeternum fatemur auctori. g

Credo in Deum Patrem. Prejudicatum tenetur hoc confeſſionis exordio, ut Filium [9] Deum credat, qui Deum Patrem ſe confeſſus eſt crediditſſe; quia generi ſuo caeleſtis natura reſpondet; nec

7 Reſtituimus *Paternae*. Codex *Paternam*, ex librarii lapſu.

8 Forte legendum, *hoc ipſo quod*.

9 Emendavimus *Deum* pro *Dei*, quod eruditus Lector aequi bonique faciet, ſi diligenter advertat jam ſupra fuiſſe probatum quod *confeſſio quae Patrem ſignat, ſtatim confitetur & Filium?* Atque hic noſtrum Athanaſium de Patris ad Filium relatione nullatenus loqui, cum id unum conetur oſtendere, quod nempe Filius Deus ſit, ac in omnibus idem cum Patre; ea potiſſimum ratione, quia *generi ſuo caeleſtis natura reſpondet*. Codex *reſpondit*: ſed in Mſſ. libris I & E promiſcue ſaepe uſurpantur.

[10] ſimile ſibi poteſt eſſe quod ſuum eſt. Humana tantum conditio & degenerationem reſpicit, & profectum. Caeterum qui ex Deo Patre naſcitur, non poteſt Filius eſſe, niſi Deus ſit.

Credo in Deum Patrem omnipotentem. Quae enim alia natura ....

[b] *Deſunt duae paginae abraſae.*

.... ret. [b] Sed quamvis peccato [11] eſſet libera; non tamen alia haberetur, quam quae poſſet eſſe peccatrix.

[i] *Ex Maria Virgine*. Honor materni ſexus incorruptae Virginitatis profeſſione monſtratur, ne diviſus eſſet homo & Deus; quamvis habens utriuſque ſtatus plenitudinem crederetur. Sed quamvis homo naſceretur ex Maria, [k] Dei tamen virtus probaretur ex Virgine; ut & fides generis maneret in car-

[10] Hic iterum ceſpitare videbatur Antiquarius. Atque ſententiam ita reſtituendam eſſe putabam: *nec diſſimile ſibi*, tum ex praecedentibus, tum etiam ex iis quae ſequuntur; ſed demum a ſententia diſceſſi, conſilio, atque auctoritate Doctiſſimorum virorum Abbatis Philippi Garbelli Brixienſis, & Comitis Ottolini Ottolinii conterranei mei cum dubitationem omnem de Filii Deitate è medio tollat confeſſio Patris. Si enim Deus Pater, & Filius Deus eſt; neque enim caeleſtis illa ac Divina natura, gignere aliquid niſi caeleſte ac divinum poteſt. Itaque non ſimilis Patri Filius, quia idem omnino Deus: ſibi enim ſimilis nemo eſt, ſed alteri. Inſectatur ergo hac Pericope ὁμοιουσίαν Arianorum.

[11] Codex *eſſe*. Mendum pro *eſſet*. Paullo infra repoſuimus *poſſet*, pro *poſſit*. Saepe tamen videas in Scriptoribus ſacris (de latinis ſequiorum temporum loquor) mutata verborum tempora; cum eſſent de re potius, quam de eloquentia ſolliciti. Auguſtus ipſe, teſte Svetonio, *ſimus* pro *ſumus* uſurpabat. Demum pro *honor materni ſexui* lege *ſexus*: niſi *ſexui* ex peculiari loci ac temporis idiotiſmo uſus ſit auctor hujuſce in Symbolum enarrationis; ut olim *domuis*, *anuis*, &c. pro *domus*, *anus* genitivo caſu veteres efferebant.

carne, & potentia majeſtatis appareret in[12] incorruptione.

l *Qui ſub Pontio Pilato crucifixus eſt, & ſepultus.* l
Sequitur Virginis partum in confeſſione noſtra, judicium, crux, ſepultura; ne Deus geſtans hominem,
m aliquem [13] excuſate carnis excitaret errorem, n et m n

 eva-

[12] Codex *in incorruptio. Nam*. Secundis curis *in incorruptionem*, relicto ſine expunctione, in delendis erratis ab Antiquariis adhibita, τὸ *nam*, quod ex oſcitantis Librarii calamo exciderat pro *nem*. Legendum ergo erat *in incorruptionem:* nos repoſuimus *in incorruptione*, ne a Priſciano vapulemus.

[13] *Excuſatè* forte *cum excuſatione* vel *citra culpam*. Ut apud Quintillianum lib. 2. cap. 1. *Et fieri id videtur excuſate*. Item apud Juſtin. lib. 32. cap. 2. *Excuſatius ſacrilegia commiſſurus*. Niſi malis legere *excuſatae* cum diphtongo pro *excuſsae*. Mihi tamen hic magis placet *excuſatae* pro *recuſatae* ſeu *non aſſumptae*: qua ſignificatione accipitur a Tertulliano lib. 1. adverſus Marcionem cap. 16. ubi ait. *Os cibo excuſamus, etiam ſexum a congreſſione ſubducimus*. Item lib. de Virginibus velandis cap. 7. pag. m. 177. cum inquit. *Si enim propter Angelos; ſcilicet quos legimus a Deo & caelo excidiſſe ob concupiſcentiam feminarum, quis praeſumere poteſt tales Angelos, maculata jam corpora, & humanae libidinis reliquias deſideraſſe, ut non ad Virgines potius exarſerint, quarum flos etiam humanam libidinem excuſat*. Hoc eſt *recuſat* quemadmodum alibi dicit *exponere veſtem* pro *deponere* ut animadvertit Rigaltius. Reliqua ad hunc modum emendanda ſunt. *Et evacuati hominis iniectae ſuſpicioni veritatem conferret*. Minima litterarum immutatio, eaque obvia, quibus codices manuſcriptos terere ſolemne eſt. Hinc fit ſenſus perſpicuus, & perquam elegans. Scilicet poſtquam Divinam Chriſti naturam, & conceptionis e Spiritu Sancto myſterium ediſſeruerat, iniectam evacuati ſeu inanimis hominis ſuſpicionem cavet. Quam emendationem ſi improbaveris, lege: *et evacuati hominis iniectas ſuſpiciones veritate conferret*. Hoc eſt & veroſimile redderet ſuſpiciones hominis evacuati (nempe inanimis) iniectas mentibus quorumdam haereticorum. *Homines* pro *hominis* & e contra *ſuſpicionis* pro *ſuſpiciones*, in manuſcriptis libris paſſim occurrunt. *Injecta* vero ſcribitur pro *injectas* cum initialis littera S proxime ſequentis verbi *ſuſpiciones* praecedenti inſerviat pro finali. Quod librariorum ſphalma in conferendis codicibus centies mihi contigit obſervare. Non negaverim tamen hancce ſententiam ita quoque reſtitui poſſe, & *evacuati hominis iniectas*

evacuati homines injecta ſuſpicionis veritate conferret; ſed manente, ac ſolido, quod judicari, crucifigi, ſepeliri poſſit, redimeret nos in Deo virtus
[14] ſua, noſtra ſubſtantia.

o p [o] *Deſcendit ad inferna*. [p] Ne in Filio Dei, Deo pleno dubitaretur fuiſſe hominis plenitudo, inſinuat nobis deſcendiſſe ad inferna confeſſio: vacaret enim tanti myſterii gratia, ſi caro ſolum inanima, ideſt quae animam non haberet, cruci fuiſſet affixa. Nam cujus praemii Chriſtus Dominus noſter [15] poſſet nobis imputare mercedem, ſi nihil in illo fuiſſet, quod aut doloris ſenſum haberet, aut mortis; cum ab [16] utroque eorum & majeſtas Domini, & carnem inſenſibilitas vindicaret.

Die tertio reſurrexit a mortuis; Poſt creditum ad inferna deſcenſum reſurrectionis celeritatem fatemur, [q] ne reliquiſſe aſſumptum hominem Deus vel apud inferos putaretur, cum [17] ſupradictam ſedem ille adiiſſet conditione mortis, iſte poteſtate vir-

ſuſpiciones veritate confutaret. Qua lectione manuducimur ad praecedentis etiam notionem ſi pro *excuſatae*, phantaſticæ ſcilicet & confictae, legamus *accuſatae* ſeu *incuſatae*. Sic enim illorum nebulonum innui videtur accuſatio, qua veram Chriſti Carnem impetebant.

14 Vel pro *ſua* legendum *ſub*; vel ſententia ita reſtituenda, *virtus ſua in noſtra ſubſtantia*.

15 Codex *poſſit*.

16 In alterutra earum vocum *Domini* & *carnem* error cubare videtur. Vel itaque emendandum *Dominum* vel *carnis*. Prima promptior eſt emendatio; altera magis placet. Non negaverim tamen abſque ulla verborum immutatione ſententiam ita poſſe reſtitui. *Cum ab utroque eorum, & majeſtas Domini, & inſenſibilitas vindicaret carnem*. Hoc eſt: cum & majeſtas Domini, & inſenſibilitas vindicaret carnem Chriſti ab utroque eorum (a dolore ſcilicet, & morte.) At ſi fallimur, emendet felicior aliquis.

17 Codex, *ſupradictum*: Certe ex Librarii lapſu.

virtutis ſuae: [18] quique naturae partibus functus, ille [19] legem infirmitatis complens, hic potentiam reſurrectionis oſtendens.

[r] *Aſcendit in caelos*, [s] ne alium Chriſtum in Filio Dei, alium in hominis Filio putaremus: [20] quamvis diſtantiae fidem diſtincta natura. Sic ubique conjungitur, ut una in ſenſibus noſtris utraque teneatur. Chriſtus ad inferna deſcendit, ſed Deum mortis conditio non attingit. Chriſtus aſcendit in caelos, ſed hominem divina non reſpuunt.

[t] *Sedet ad dexteram Patris*: non novam putare debemus, aut ſubitam iſtam in Filio Dei gloriam, quam ſe, & apud Patrem ſemper, & ante ſaecula, ſicut & in Evangelio legimus, propriae vocis teſtimonio profitetur habuiſſe, ſed in eo nunc Filius hominis delatae ſedis honore donatur, quem ideo in omnibus humanis paſſionibus non reliquit, ut iſtam clarificationem divinam dignitatis adveheret. Denique ut hujuſmodi intelligentiae ſecretum humanos poſſit ſenſus intrare, ſedere ad dexteram Patris Filium confitemur; cum immenſitatem Dei nec corporalitas definiat, nec localitas comprehendat.

In-

18 Mendum pro *quiſque*.

19 Reſtituimus *legem* & infra *potentiam*. Codex *lege*........*potentia*.

20 Hic locus difficultatibus ſcatet immanibus; ſed ſi, mutata interpunctione, reſtituas *conjungit* pro *conjungitur*, ad priſtinum nitorem ſententia redit. Lege ergo ſic: *quamvis* (ideſt *omnem*) *diſtantiae fidem diſtincta natura ſic ubique conjungit, ut una in ſenſibus noſtris* &c. Diſtantiam pro differentia uſurpat etiam Tertullianus libro de Corona cap. 10. cum inquit. *Igitur qui ſenſu careant, eorum erit perinde uti ea re, cujus careant ſenſu, atque ſi abuti ea vellent, ſi ſenſu non carerent. Nulla vero diſtantia eſt abutendi, cum veritas ceſſat utendi, ceſſante natura ſentiendi.*

* *Inde venturus judicaturus de vivis, & mortuis.* Venturi quoque ad judicandum poteſtas, quamvis Filium Dei Deum deſignet manentem; tamen in eo intelligentiam Filii hominis non reliquit. Quamvis enim ſcriptum legamus, in Paterna [21] eum claritate venturum; tamen & illud divinis eloquiis proditur; *& videbunt in quem conpunxerunt*. Ipſa enim poteſtas de vivis & mortuis judicandi, utramque naturam una cum claritate collectam [22] Chriſto mediatore, teſtatur; quia vivos judicare & homo poteſt, mortuos ad judicium exhibere, niſi Deus, non poteſt.

Joan. XVIIII. v. 37.

[23] *Credo in Spiritu Sancto.* Quod poſt tantorum my-

21 Codex, *cum*, repoſuimus *eum*.

22 Supple *in*.

23 Ita etiam Ruffinus in expoſitione Symboli juxta Baluzii editionem. Unum eſt quod hic obſervari vellem, forte Antiquarium noſtrum in primo Articulo pro *Credo in Deo Patre* emendandi cacoethe accuſandi caſum adhibuiſſe, ut in pluribus Manuſcriptis exemplaribus Ruffini accidit: quare cum haec gemina lectio in uno eodemque noſtri Athanaſii Symbolo reperiatur, Baluzii conjecturis adhaerere minime detrectaverim, qui, ad ea verba *Credo in Deo Patre omnipotente* haec notat pag. 181. Sic tres Manuſcripti codices cum „ Remb. Eraſm. & Morel. & ſic in ſequentibus articulis, & *in Jeſu Chriſto* &c. Pamelius his in locis accuſativum poſuit, tum „ quia ſic invenit in Frobeniana, & in aliis duabus vetuſtis editionibus; „ tum quia ſic habent tria apud Hieronymum Symbola, & ſic ipſe „ Hieronymus in dialogo adverſus Luciferianos, uno loco excepto; ſic „ etiam ubique Auguſtinus. Verum Pamelii rationes probant illud „ quidem in pleriſque Symbolis dici ſolere; *Credo in Deum*: „ at minime probant ſic etiam exſtitiſſe in Symbolo Eccleſiae Aquilejenſis. Quin etiam quo uſitatior erat accuſativus in Symbolis; eo minus probabile eſt librarios vel incuria, vel de induſtria ablativum in hoc Symbolo poſuiſſe. At minime mirum, ſi „ cum reperirent ablativum, novitate offenſi, accuſativum inſeruerint. „ Quamobrem codices in quibus legitur: *Credo in Deo &c.* & *in Chriſto &c.* & *in Spiritu Sancto* videntur mihi accuratius conſuetudinem

myſteriorum confeſſionem nunc in fidei noſtrae ſacramento Sanctum Spiritum confitemur, non injurioſa imminutio Deitatis eſt, ſed Catholicae fidei cauta praeſcriptio; ne forte, ſi prius confeſſio Sancti Spiritus fuiſſet inſerta, Perſonarum aliqua confuſio crederetur, quas ſub unius Deitatis majeſtate diſcretas, humana ſalus eſt credidiſſe; quia in Sacramento aeternae ſpei Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus ita tres perſonae ſunt, ne tres Dii ſint; ita Deus unus eſt, ne una perſona ſit. Hoc Chriſtus Apoſtolis tradidit, hoc nobis Apoſtoli tradiderunt: haec enim ſunt Salvatoris aſcenſuri ad caelum [24] poene ultima ad totius doctrinae concluſionem dicta [25] *Ite, baptizate gentes* * *unguentes eas in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti:* ut unius

* *Matth.* XXVIII. v. 19.

„ Eccleſiae Aquilejenſis retinere, quam qui accuſativum uſurpant. „ Haec autem Symboli pronuntiandi ratio non videtur ab hac Eccle- „ ſia adſcita ſine conſilio fuiſſe; ſed ut trium perſonarum Divinarum „ clarior eſſet diſtinctio ab articulis ſequentibus, *Sanctam Eccleſiam &c.* „ Haec ille. Pamelium monere poterat Ruſſinus ipſe, qui prope finem illius libri rationem reddit cur Aquilejenſis Eccleſia ablativo caſu, de Perſonis loquens ſit uſa, ſecus ac in caeteris quae nobis credenda in Symbolo proponuntur. Verum *in Spiritu Sancto*, non autem *in Patre & Filio* ita afferre potuit noſter Athanaſius, uti Venantius Fortunatus. Merito ergo Gerardus Joannes Voſſius ſcribit: *Quod non gravi ſatis cauſſa Pamelius in accuſandi caſum immutavit*. Certe in Symbolo Apoſtolorum ab Uſſerio edito ex codice Graeco-Latino Actorum Apoſtolorum majuſculis litteris exarato exſtante in Oxonienſis Accademiae Bibliotheca legitur *in Chriſto Jeſu* &c. .... & *in Spiritu Sancto*.

24 Codex, *poene ultima totius doctrinae canclusionem data.* Adeo confidenter textum reſtituimus ſupplendo *ad* ante vocem *totius*, tum legendo pro *data*, *dicta*; ut reponere non dubitaverimus, *poene ultima ad totius doctrinae concluſionem dicta*.

25 Hic ad oram membranae forte idem librarius adnotavit. *Non dixit in nominibus, ſed in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

unius nominis ſignificatio unum Deum traderet; tres vero perſonas conjunctio adjecta diſiungeret. Videamus nunc, an fideles Diſcipuli accepta ſervarint. Reſpondeat nobis pro cunctis Joannes, qui in pectore Domini noſtri familiariter recubans, totius doctrinae potuit arcana cognoſcere; qui, quod reliqui Apoſtoli ſcire cupiant, Dominum ſolus interrogat; qui comprehenſo Domino atrium Sacerdotis non negaturus ingreditur; [26] cujus ſuſcipienti te Matris Vicarius affectus a Domino diligatur; qui ad monumentum Domini etiam Petrum feſtinus antevenit. [y] *Tres ſunt*, inquit, *qui*
[y] I. Joan. cap. 5. v. 7. *teſtimonium perhibent in caelo, Pater, Verbum, &*
Spiritus, & ii tres unum ſunt. Nonne poſt haec, nobis hujuſmodi fidem & mors eſt perdere, & ſalus eſt cuſtodiſſe. Subjungitur denique *in Sanctam Matrem Eccleſiam*, ut illa una [27] Eccleſia ſancta apud nos habeatur, & Mater, quam in Apoſtolis Domini doctrina conſtituit. Amen. Explicit.

26 Difficillimus revera hic locus eſt; non deſperamus tamen emendationem noſtram ſuis quemque calculis probaturum. Pro *ſuſcipienti te*, reſtituendum *ſuſcipientis &*, ac *delegatur* pro *diligatur*. Minima ut vides litterarum immutatio, eaque tutiſſima. Lege igitur, *Cujus ſuſcipientis & Matris vicarius affectus a Domino delegatur.* Quae ut mihi facilis ſit, & clara, ſi cui tamen implicatior adhuc videatur, puta metalepſim verborum factam, & lege, *cujus ſuſcipientis affectus, &* (nempe etiam) *Matris vicarius a Domino delegatur*. Aliam quoque emendationem hic placet ſubnectere, de qua tecum Lector contendam pignore. Ipſa cum priori in eo tantum diſcordat, quod pro *te* emendamus *ſe*, legimuſque, verba in ordinem redigendo, ſic: *Cujus affectus delegatur a Domino Vicarius Matris ſuſcipientis ſe* (ſubaudi *in Filium*). Juxta illud Joannis 19. v. 26. *Cum vidiſſet ergo Jeſus Matrem, & Diſcipulum ſtantem, quem diligebat, dicit Matri ſuae: Mulier, ecce Filius tuus. Deinde dicit Diſcipulo, ecce Mater tua. Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua.*

27 Codex, *Eccleſiae*. Quis mendum non videat?

AD.

ADNOTATIONES.

[a] *Securus itaque de inſtituti tui indole &c.*

ETſi caetera deeſſent, en apertum catechetici Sermonis teſtimonium. Conſulamus tamen Sanctum Auguſtinum in hisquos habet *de traditione Symboli* Sermones, ex quibus plura alia licet exempla congerere; praeſertim ad illuſtranda ea noſtri Opuſculi verba, quae mox ſubſequuntur; nempe: *Hic eſt Chriſtiani nominis titulus, hic humani fructus officii; duo in famulatu Dei, quae principalia in nobis habemus, offerre, cordis fidem, & oris confeſſionem: quia corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*; his namque verbis ignotus Auctor, qui ſub Athanaſii nomine larvatus venit in codice, Symboli traditionem, redditionemque adhuc clarius videtur innuiſſe; cum idem Sanctus Doctor Sermone 213. exponens eam Regulae fidei partem: *Credo in Deum Patrem omnipotentem;* haec ſcribat: *Credite ergo in eum, & confitemini.* Corde enim creditur ad juſtitiam; ore autem confeſſio fit ad ſalutem. *Ideo cum credideritis, oportet ut confiteamini, quando Symbolum reddetis.* Item in exordio Sermonis 214. quem habuit anno 391., cum coepit Presbyter altari miniſtrare, ſcribit: *Apoſtolus dicit*, Quoniam ſi confeſſus fueris in ore tuo quia Dominus eſt Jeſus, & credideris in corde tuo quia Dominus illum ſuſcitavit a mortuis, ſalvus eris. Corde enim creditur ad juſtitiam, ore confeſſio fit ad ſalutem. *Hoc in vobis aedificat Symbolum, quod & credere, & confiteri debetis, ut ſalvi eſſe poſſitis. Et ea quidem, quae breviter accepturi eſtis, mandata memoriae, & ore proferenda, non nova vel inaudita ſunt vobis.*

Tomo v. pag. 653. Lit. F. edit. Monach. S. Mauri.

Tom. v. pag. 656. Lit. E.

[b] *Credo in Deum.*

Apoſtolorum Symbolum, quod Romanum vocant, ita

 exor-

exordiebatur : *Credo in Deum*, omiſso verbo *unum*. Novatianus enim Romanae Eccleſiae Presbyter, ſuum de Sancta Trinitate librum inchoat his verbis: *Regula exigit veritatis, ut primo omnium credamus in Deum Patrem, & Dominum omnipotentem, ideſt rerum omnium perfectiſſimum conditorem*: quo loci ſub veritatis Regula Apoſtolicum Symbolum venire nemo non videt. Sanctus item Leo Magnus in dogmatica, qua Calchedonenſem Synodum inſtruxit, Epiſtola, haec ſcribit ad Flavianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, contra Eutychetis perfidiam & haereſim: Eutyches *illam ſaltem communem, & indiſcretam confeſſionem ſollicito appehendiſſet auditu, qua Fidelium univerſitas profitetur credere ſe in Deum Patrem omnipotentem, & in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum, Dominum noſtrum, qui natus eſt de Spiritu Sancto ex Virgine Maria*. Hanc Epiſtolam in qua Symbolum recitatur, calumniati ſunt Eutychiani, eo quod nempe Sanctus Pontifex non dixerit *in unum Deum Patrem, & in unum Jeſum Chriſtum Filium ejus*, juxta Nicaeni decreta Concilii, nt videre eſt apud Vigilium Tapſitanum Epiſcopum lib. 4. contra Eutychetem. Illis tamen ipſe Vigilius ibidem ita reſpondit: *Romae, & antequam Nicaena Synodus conveniret, a temporibus Apoſtolorum uſque ad nunc, & ſub Beatae memoriae Celeſtino, cui iſte rectae fidei teſtimonium reddidit, ita Fidelibus Symbololum traditur. Nec praejudicantur verba, ubi ſenſus incolumis permanet*. Vigilio accedit Marcellus Ancyrae Epiſcopus, qui ab Arianis calumniis impetitus, Romanam ſedem adiit, & coram Sancto Julio Papa ex more fidei formulam profeſſus eſt juxta Romanum Symbolum, quod ab Epiphanio ralatum ſic incipit: *Credo in Deum omnipotentem* omiſſo verbo Πατέρα, librariorum, ut Uſſerio videtur, incuria. Praeterea in Aquilejenſi Eccleſia τὸ *unum* Ruffini tempore nondum in Symbolum fuerat illatum; idque a Graecis primum praeſtitum contra Gnoſticos mihi non dubium eſt; cum nempe iſti nequiſſimi nebulones duplicis Divinitatis commentum excogitarunt. Quamobrem idem Ruffinus in Expoſitione Symboli ait: *Orientis Eccleſiae fere omnes ita tradunt*.

Cre-

Epiſt. 10. cap. 2. pag. 105. edit. Pariſ. 1661.

Tomo VIII. *pag. 730. Lit. H. Bibl. Patrum edit. Lugdun. 1677.*

Haereſi 72. cap. 3.

De Expoſ. in Symb. Apoſt.

Credo in uno Deo Patre omnipotente. *Et rurſum in ſequenti ſermone, ubi nos dicimus*: & in Jeſu Chriſto unico, Filio ejus Domino noſtro; *ita illi tradunt* Et in uno Domino noſtro Jeſu Chriſto unico, Filio ejus. *Unum ſcilicet Deum, & unum Dominum, ſecundum auctoritatem Pauli Apoſtoli profitentes*. Demum laudatus Vigilius lib. XII. de Trinitate idem teſtatur, dicens: *Nec non & illa magna, & beata confeſſio fidei, immo ipſa fides Sanctorum, & teſtamentum, quod diſpoſuimus ad Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum ad ſacrum lavacrum regenerationis venientes confeſſi ſic*: Credo in Deum Patrem omnipotentem. §. 4. pag. 182. edit. Venet. Operum S. Cypriani. Tomo VIII. Bibl Patrum pag. 799. Lit. F.

[c] *Ut per hoc immenſitas &c.*

Sanctus Joannes Chryſoſtomus in Oratione ſuper parabolam de conductis in vineam operariis hunc Apoſtolici Symboli articulum eodem commentario exponit, dicens: *Credo, non ſcrutor: credo, non perſequor id, quod comprehendi non poteſt: credo, non metior id, quod immenſum eſt*. Et Vigilius Tapſitanus lib. VIII. de unitate Fidei ad Theophilum: *O homo*, inquit, *Deitatem quaeris, vitupero te: ſi credis, bene facis: credere tibi juſſum eſt, non diſcutere permiſſum eſt*. Eadem fuſiori calamo habentur in Sermone CXIII. Tomo V. Operum Sancti Auguſtini; ubi Clariſſimi editores admonuerunt dictum ſermonem deſcriptum fuiſſe ex Vigilii Tapſenſis libro de Fide contra Palladium Arianum ſecundo, cap. 5. 6. & 7. in Franciſci Chiffletii editione. Item & in alio Sermone, ibidem, Auguſtini nomine vulgato, qui eſt numero 232. quique Vigilio pariter jure optimo vindicatur. Tomo VIII. Bibl Patrum pag. 790. In Append. pag. 140. pag. 316. & ſeq.

[d] Vulgata *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam*. Jacob. II. v. 23.

[e] *Confeſſio quae Patrem ſignat &c.*

Divus Athanaſius Tomo primo Epiſtola de decretis Nicae-

pag. 236. edit. Monach. S. Mauri Pariſ. Tomo I. par. I. pag. 437. pag. 439. caene Synodi, numero 30. eadem habet; ait enim: *Qui Deum Patrem nominat, ſtatim in illo Filium quoque intelligit*. Et Oratione prima contra Arianos: *Qui Deum*, inquit, *Patrem vocat, ſtatim Filium concipit, & agnoſcit*, Item ibidem: *Cum Patris nomen pronuntiamus, ex hoc nomine Verbum quoque, quod in Patre eſt, agnoſcimus*. Ruffinus quoque in Expoſitione Symboli Apoſtolici numero 4. ait; *Hoc ergo ipſo nomine, quo Deus ipſe Pater appellatur, cum Patre pariter etiam Filius ſubſiſtere demonſtratur*. Demum Vigilius lib. VIII. de unitate Fidei ad Theophilum ſcribit; *Quando autem nominaveris Patrem*, Tomo VIII. Bibl. Patrum pag. 790. Lit. D. *clarificas Filium; & quando nominaveris Filium, adoras Patrem*.

[f] *Utriuſque nominis natura conjuncta eſt.*

Ut noſtri Athanaſii mentem aſſequamur, audiendus eſt Divus Auguſtinus, qui Sermone de tempore 181. *Advertite*, inquit, *quod cum Dei Patris nomen in confeſſione coniungit; oſtendit, quod non ante Deus eſſe coepit, & poſtea Pater, ſed ſine ullo initio & Deus ſemper, & Pater.*

[g] *Non ad unum aeſtimet referri debere principium.*

Hic Manichaeorum errores cavendos monet, qui duo Principia aeterna atque immortalia ſomniantes, eorum alterum bonum, alterum vero malum eſſe docebant. Ad Gnoſticos quoque reſpexiſſe videtur; ipſi enim Deum quidem ſummum eſſe ajebant, ſed eorum quae ei ſubiiciebantur, multa eum ſubterfugere, ejuſque virtutem certis limitibus coerceri; Deum interea fingentes inferiorem, cui *Patris* nomen tribuebant, eumque. *Nun* ..... *Patrem &* Contra Haereſes lib. I. cap. I. pag. 5. pag. 90. *initium omnium* appellabant, item, *Patrem ac Deum creatorem Mundi*; ajebantque, ut refert idem Irenaeus adverſus haereſes lib. I. cap. 19. *Dominum noſtrum alterum annuntiare*

Patrem,

Patrem, praeter fabricatorem hujus univerſitatis, quem ... impie blaſphemantes Labis fructum eſſe dicebant. Quare ut impiis iſtorum deliramentis occurreret, ipſe etiam Apoſtolici Symboli verba in medium afferre optimum duxit, quibus *in unum Deum Patrem credere* profitemur. Et lib. 2. cap. 1. multa habet ut probet quod verus & ſummus Deus, *ſolus conditor, & ſolus Pater ſit;* oſtendatque ad unum omnia referri debere principium. Praeterea contra Cerdonem ac Marcionem noſter Athanaſius agit, quorum alter, teſte Irenaeo, docuit, *eum qui a lege & Prophetis annuntiatus eſt Deus, non eſſe Patrem Domini noſtri Chriſti Jeſu; hunc enim cognoſci, illum autem ignorari*: alter verò *adampliavit doctrinam, impudorate blaſphemans eum qui a lege & Prophetis annuntiatus eſt Deus, malorum factorem ..... Jeſum autem ab eo Patre, qui eſt ſuper mundi fabricatorem Deum, venientem in Judaeam temporibus Pontii Pilati Praeſidis, qui fuit procurator Tiberii Caeſaris, in hominis forma manifeſtatum his qui in Judaea erant, diſſolventem Prophetas, & legem, & omnia opera ejus Dei, qui mundum fecit, quem & Coſmocratorem dicit*. Divus Epiphanius tamen Haereſi 42. ſ. 3. non duo tantum principia, ſed tria a Marcione conſtituta fuiſſe ait, & quae illa fuerint hunc explicat in modum: *Quorum*, inquit, *unum ſit ſupremum, quod neque nomine comprehendi, neque viſu percipi poſſit, quem & bonum Deum appellat, a quo nihil ſit eorum, quae in Mundo ſunt, conditum: alterum vero Deum dicit aſpectabilem, ac Creatorem; tertium denique Diabolum, inter ambos illos, & eum qui aſpici nequit, interjectum*. Cerinthus quoque ut auctor eſt idem Irenaeus lib. 1. adverſus Haereſes cap. 26. *Non a primo Deo factum eſſe Mundum docuit, ſed a Virtute quadam valde ſeparata, & diſtante ab ea principalitate, quae eſt ſuper univerſa, & ignorante eum qui eſt ſuper omnia Deum*. Quam doctrinam Cerinthus hauſerat a Nicolaitis, qui dicebant *alterum quidem fabricatorem, alium autem Patrem Domini, & alium quidem fabricatoris filium, alterum vero de ſuperioribus, Chriſtum &c.*

lib. 1. cap. 10. pag. 48.

pag. 116.

Item lib. 1. cap. 27. pag. 106.

Ibidem pag. 106.

pag. 105.

Iraeneus lib. 3 cap. XI. pag. 188.

b Sed

[b] *Sed quamvis peccato eſſet libera &c.*

Duae codicis membranae hic, ubi iatus apparet, vel temporis injuria detritae, vel a neſcio quo impudenter abraſae modo fruſtra deſiderantur; nihilo tamen minus, ut quoquo modo Scriptores mentem ex ſequentibus ſaltem aſſequamur, perpendenda ſunt ea verba: *quamvis peccato eſſet libera, non tamen alia haberetur, quam quae poſſet eſſe peccatrix;* quibus articulus *ex Maria Virgine* proximo loco ſuccedit. Ex illis namque clare dignoſcimus non nativitatem intemeratae Virginis, ſed conceptionem Chriſti de Spiritu Sancto in praecedentibus fuiſſe expoſitam, cum hic aſſeratur, quod ſi viri ope Servator noſter fuiſſet in Virginali alvo conceptus, ejus Divina caro, licet peccato fuiſſet immunis, attamen, utpote humano ſemine propagata, adhuc caro peccatrix dicenda foret, ut probat Tertullianus de Carne Chriſti cap 17. Quamobrem in comperto eſt hic Ebionitas, Cerinthianos, alioſque hujus furfuris homines Athanaſium noſtrum oppugnaſſe, qui hominem Chriſtum eſſe non inficiantes, ea tamen ratione genitum blaſphemabant, ſicut caeteri homines, ex Joſephi nempe Virginiſque concubitu (quod vel meminiſſe horret animus) ut novimus ex Epiphanio haereſi Ebionitarum ubi ait; *Ebion Chriſtum ex ſemine viri eſſe genitum docuit*. Item ex Tertulliano, qui libro Praeſcriptionum cap. 68. ſcribit, Carpocratem *Chriſtum non ex Virgine Maria natum, ſed ex ſemine Joſeph* impiiſſime aſſeruiſſe.

pag. 320. & ſeq. edit. Pariſ. 1675.

pag. 50. edit. Baſil. 1544.

pag. 221. Lit. G.

[i] *Ex Maria Virgine.*

Hinc liquet in noſtro Symbolo hunc articulum ita fuiſſe conceptum: *qui natus de Spititu Santo, ex Maria Virgine*, quemadmodum in Aquilejenſi, Orientali, ac Romano; non vero, *qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine*; cum *τὸ natus* ante ea verba *ex Maria Virgine*, minime habeatur. Et ſane in dogmatica ſupra laudata ad Synodum

Cal-

Calchedonenſem Epiſtola, Sanctus Leo Magnus ſcribit: *Fidelium univerſitas profitetur credere ſe in Deum Patrem omnipotentem, & in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum, Dominum noſtrum, qui natus eſt de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine.* cap xi. pag. 105. Hanc Epiſtolam ab Eutychianis impetitam Vigilius vindicans lib. 4. contra Eutychetem, *Cur*, inquit, *non ſimili dementia reprehendit, quod Leo ait*, Qui natus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, *quoniam hoc verbum Nicaena Synodus non poſuit, & (ut illi placet) hoc verbum profiteri debemus quod ibi ſcriptum invenerimus.* Tomo VIII. Bibl. Patrum pag. 731. Lit. A. Deinde docens Romanam Eccleſiam in Apoſtolicis verbis permanere, inter ipſa eſſe ait: *Natus eſt de Spiritu Sancto, ex Maria Vergine.*

[k] *Dei tamen virtus probaretur ex Virgine.*

Divus Athanaſius quaerens cur Verbum naſci voluerit, ipſe etiam in quodam fragmento Commentarii in Lucam Tomo I. hanc attigit rationem, dicens: *ut ſit illud inditium ejus Divinitatis.* parte 2. pag. 1271. Et Oratione de Incarnatione Verbi Dei, ut probaret Filium Deum eſſe, ait: *Quis enim omnium unquam hominum corpus ex ſola Virgine ſibi ipſi compoſuit?* Tomo I part. I. pag. 90. Et in eodem libro: *Ex Virgine*, inquit, *ſibi ipſi corpus formavit, ut omnibus non parvum ſuae Divinitatis argumentum exhiberet.* Tomo I. part. I. pag. 63. n. 18. Demum Vigilius lib. IV. contra Eutychetem referens Leonis teſtimonium, ſcribit; *Denique ejus iſta ſunt verba*; Tomo VIII. Bibl. Patrum pag. 733. Lit. F
„ Nativitas carnis, manifeſtatio eſt humanae naturae: partus Virginis, Di-
„ vinae eſt virtutis indicium.

[l] *Qui ſub Pontio Pilato &c.*

Apoſtolicum quoque Symbolum, quod Romae coram Julio Pontifice Marcellus Ancyrae in prima Galatia Metropolita profeſſus eſt, ita adducitur ab Epiphanio: *Qui ſub Pontio Pilato crucifixus eſt & ſepultus*: Et ita legitur in perbrevi Symbolo Apoſtolorum, quod extat ad finem antiquiſſimi Graeco-Latini Actorum Apoſtolorum codicis, maiuſculis litteris exarati, quodque in publica Oxonienſis Aca-

de-

demiae Bibliotheca cuſtoditur, teſte Uſſerio *de Symbolis*, a quo editum eſt. Similia habentur apud Joannem Caſſianum contra Neſtorium lib. VI. de Incarnatione Domini. Item in illo Symbolo quod Facundus Ermianenſis Epiſcopus in Catholicae fidei Epiſtola protulit: nec non in Orientali a Cyrillo Hieroſolymitano relato in ſuis Catecheſibus, ac Aquilejenſi, ut & in Dupinii tabula ad calcem hujus Operis edita videre eſt. Primum Symbolorum in quo omnes voces, paſſionis, crucifixionis, mortis, & ſepulturae conjunctas inveniamus, eſt apud Auguſtinum, qui Sermone 213 de Traditione Symboli ſic eas allegat: *Paſſus eſt ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus*. Porro paſſionis vox omittitur etiam a Tertulliano in duabus Fidei formulis Praeſcriptionum cap. 13. & de Velandis Virginibus cap. 1. eo quod nempe crucifixio paſſionem involvat. Id ipſum dicendum de *morte*, quae ut in Marcelli, ita & in noſtri Athanaſii Symbolo fruſtra requiritur; nec apparet in dogmatica Epiſtola, qua Sanctus Papa Agatho ſextam Synodum inſtruxit; cum ipſa ſepulturae nomine comprehendatur. Et hinc eſt, ut animadvertit Auctor Hiſt. Apoſt. Symb.: quod *contraria ratione paſſio ipſius crucifixionem quandoque continet, ut ſit in quodam Origenis Symbolo Prooem: lib. περὶ ἀρχῶν; morſque involvit ſepulturam, ut in Symbolo Ignatii Epiſt. ad Trallen. pag. 52 ex qua ipſa in ſtylo diverſitate concludere proclive eſt, quod termini iſti ſe ſe mutuo involventes, atque uſurpati promiſcue uni eidemque rei indicandae adhibiti fuerint, nempe ut declararent Corpus Chriſti verum eſſe, reale, & materialis naturae.*

Tomo I. Nov. Bibl. pag. 13

Tom. V. pag. 654 n. 3.

pag. 207.

pag. 173.

pag. 125. edit. Lipſ. 1706.

edit. Iſaaci Voſſii Amſtel. 1646.

[m] *Excuſate carnis excitaret errorem &c.*

Divus Joannes in Catholica ſua Epiſtola exſtitiſſe jam tum in Mundo Antichriſtos quoſdam dicit, qui Jeſum Chriſtum in carnem veniſſe noluerunt fateri: idipſum teſtantur Irenaeus, Epiphanius, Hieronymus, Philaſtrius, Auguſtinus, Theodoritus, aliique. Audiatur hac de re laudatus Hieronymus adverſus Luciferianos cap. 8. cum inquit: *Apoſtolis adhuc in ſaeculo ſuperſtitibus, adhuc apud Judaeam Chriſti San-*

gui-

guine recenti, phantaſma Domini corpus aſſerebatur. Item D. Ignatius Apoſtolorum aequalis in Epiſtola non interpolata ad Trallianos § x. *Si vero*, inquit, *ut quidam Athei, hoc eſt infideles ajunt ipſum ſecundum apparentiam eſſe paſſum &c.* Et profectò δοκήσεως & φαντασίας blaſphemum deliramentum Simoni Mago tamquam omnium anteſignano tribuendum eſt; quamvis, ut opinor, D. Joannes Gnoſticos intellexerit, qui praeter immenſam errorum colluviem, etiam contra Corporis Chriſti veritatem impia dogmata diſſeminarunt. Hos Menander ſecutus eſt, teſte eodem Theodorito Tomo 3. Epiſt. 145. Dein Cerdon, Marcion, cum Saturnino, de quo Tertullianus Praeſcript. cap. 46. tradit quod diceret: *Chriſtum in ſubſtantia corporis non fuiſſe, & phantaſmate tantum quaſi paſſum fuiſſe*: Demum Baſilides; qui, ut auctor eſt idem Tertullianus ibidem, ajebat Chriſtum *veniſſe in phantaſmate: ſine ſubſtantia carnis fuiſſe*: Prætereo Valentinum, de quo Gennadius libro de Eccleſiaſticis Dogmatibus ait: *Neque in phantaſia, ideſt abſque carne, ſicut Valentinus aſſerit, neque doceſi* [male enim ex Mſ. Florentino excuſum fuit *de theſi*] *ideſt putative imaginatum* (aut ut in Alchuino *putativa imagine*) *ſed corpus verum*. Praetereo item Manichaeorum aliorumque nefanda nomina, Chriſti verae carni ſemper infenſa, quae longum eſſet perſequi ſingula. Conſtat ergo cum iſtis agere noſtrum Athanaſium, tum hic, tum infra, cum inquit: *Nam cuius praemii Chriſtus poſſet nobis imputare mercedem, ſi nihil in illo fuiſſet, quod aut doloris mercedem haberet, aut mortis*: quare laudatus Tertullianus adverſ. Marcionem lib. 3. cap. 8. ait, *Nihil ..... paſſus eſt, qui non vere paſſus eſt. Vere autem pati phantaſma non potuit. Everſum eſt igitur totum Dei opus, totum Chriſtiani nominis & pondus & fructus*. Quo argumento etiam Origenes Dial. 4. urgebat Bardeſaniſtam Marinum, eo quod Chriſtum revera paſſum non eſſe contenderet, haec illi reponens: *Si hominum opinione tantum paſſus eſt Chriſtus, non revera, Herodem opinione tantum eum judicaſſe, Pilatum opinione manus abluiſſe, adiuraſſe eum opinione Caipham, Judaeos manus ei injeciſſe opinione, Apoſtolos opinione exſtitiſſe, ſanguinem eius opinione*

[Margin notes: *pag.* 219 (beside "Theodorito Tomo 3. Epiſt. 145"); *pag.* 219 (beside "ajebat Chriſtum"); *pag.* 109. *edit. Baſil.* 1674 (beside "Dial. 4.")]

effuſum eſse, praedicaſse Evangelium Evangeliſtas opinione; opinione ex caelo deſcendiſse, eoque reverſum eum eſse: verbo totam ſalvationem hominis opinione, non revera factam eſse neceſse eſt.

" *Evacuati hominis &c.*

Inter caetera Apollinariſtarum commenta ab Eunomianorum coenoſis fontibus derivata, illud celebratum eſt maxime a Sanctis Patribus, quod de natura hominis in Chriſto ſemiplena, hoc eſt anima carente, ſomniarunt. Aiebant impiiſſimi nebulones Verbum ipſum carnem factum animae vicem ſuppleviſſe: ut de ambobus Apollinaribus teſtatur Socrates, ex Epiphanii verſione, in Tripartita lib. 5. cap. 44. ubi ait: *Animam a Deo Verbo in diſpenſatione incarnationis, non aſſumptam* docuiſſe: Athanaſius quoque, vel quiſquis ſit illius Operis Auctor (de quo vide Tillemontium in ejus vita nota 110) in Sermone contra omnes haereſes, Apollinaris ſententiam exponens, *Apollinaris*, inquit *fidei ſoliditate privatus, Filium Dei ita veram humanae carnis credidit ſuſcepiſſe naturam, ut in illa carne diceret animam non fuiſſe, quia vicem ejus expleverit ipſa Divinitas*: & Divus Aug. lib. de Haereſ. To. 8. n. 55. pag. 19 haec habet: *Apollinariſtas Apollinaris inſtituit, qui de anima Chriſti a Catholica diſſenſerunt, dicentes, ſicut Ariani, Deum Chriſtum carnem ſine anima ſuſcepiſſe*. Auctor item Praedeſtinati, haereſi quinquageſima quinta, quae eſt Apollinariſtarum, ſcribit, *negaſſe* Apollinarem *hominem perfectum in Chriſto; ſed aſſumptionem carnis ita factam, ut intus in homine pro anima Divinitas eſſet*. Et Rupertus lib. 1. in Joan. *Non enim*, inquit, *ſicut Apollinariſtae haeretici ſuſpicati ſunt, Verbum Dei ſine anima carnem aſſumpſit*. Caſſianus demum hanc haereſim repraeſentans de Incar. Chriſt. lib. 1. pag. 1241. ait *Quod humanam eum non habuiſſe animam* tradidit. Senſitivam quidem Apollinarius animam fatebatur, non autem rationalem. Namque ut Vincentius Lirinenſis ſcribit Common. cap. 17. pag. 50. *Apollinaris dicit in ipſa Salvatoris noſtri carne aut animam humanam penitus non fuiſſe, aut certe talem fuiſse, cui mens & ratio non eſset*; cujus *loco proinde*,

Tom. 2. pag. 230.

pag. 214.

de, ut Epiphanius ait, *Divina natura fuerit*. Ariani quoque eandem blaſphemiam protulerunt, ut teſtatur Epiphanius haereſi 69. cum inquit: *Nolunt Chriſtum animam ſuſcepiſſe*. Nec praeter Epiphanium qui hoc palam faceret alium allegat. D. Auguſtinus Haereſi 49, ubi ait: *In eo quod Chriſtum ſine anima ſolam carnem ſuſcepiſſe arbitrantur, minus noti ſunt, nec adverſus eos ab aliquo inveni de hac re fuiſſe certatum. Sed hoc verum eſſe & Epiphanius non tacuit*. Poſtea vero idem confirmarunt Theodoretus lib. 5. Haereticarum Fabularum cap. 10. & Leporius Presbyter lib. 1. de Fide, qui de illis ſcribit: Si *igitur Jeſus Chriſtus animam non habuiſſet, ſicut nefarii aeſtimant Ariani . . . . numquam ſapientia proficere poterat*. Hos ergo impetit noſter Athanaſius, cum hic, tum paullo infra, cum dicit: *Vacaret enim tanti myſterii gratia, ſi caro ſolum inanima, ideſt quae animam non haberet, cruci fuiſſet adfixa*. Vocem evacuati pro inanimis ſaepe uſurpat etiam Tertullianus, ac praeſertim libro de Carne Chriſti; ubi contra Alexandrum oſtendit, quomodo caro Chriſti, licet fuerit ex noſtra, tamen non fuerit peccatrix.

To. I. Venetae Sirmondi Edit. pag. 182.

pag. 310.

' *Deſcendit ad inferna.*

Fateor ingenue Clementem, Irenaeum, Juſtinum Martyrem, Tertullianum, Origenem, Auguſtinum, alioſque nullam hujus articuli mentionem feciſſe: immo plures quam ſexaginta vetuſtiſſimorum Patrum & Conciliorum Confeſſiones his verbis carere; ac deeſſe in Marcelli Ancyrani Symbolo, itemque in illo quod Romana Synodus 25. Epiſcoporum ſub Agathone Papa per Epiſtolam miſit Conſtantinopolim per quatuor Sedis Apoſtolicae Legatos: Inter Latina tamen, quæ exſtant, fidei Symbola, certe in Aquilejenſi, apud Ruffinum, articulus iſte invenitur, non tamquam de novo additus, ſed ut jamdudum uſu receptus in illa Eccleſia. Quoniam vero in ejuſdem Symboli Expoſitione ſcribit laudatus Interpres: *In Eccleſiae Romanae Symbolo non habetur additum* DESCENDIT AD INFERNA; hic juvat in medium proferre ea quae habet Cl. Henricus Vicus, Oſthovii Toparcha, in

Opuſcolo, quod de Jeſu Chriſti deſcenſu ad inferos elaboravit, ut oſtenderet hunc articulum jam tum ab Apoſtolico aevo in Symbolo extitiſſe. Poſtquam enim plura congeſſit Sanctorum Patrum teſtimonia, quae ſunt ejus ſententiae maxime opportuna, demum ita concludit: *Quod Ruffinus memoriae prodidit eam de Domini ad inferos deſcenſu particulam non fuiſse habitam in Symbolo Romanae Eccleſiae, neque vero etiam in Eccleſiis Orientis, in eo magnopere hallucinatus eſt. Neque ipſi fides habenda eſt ſcribenti adverſus manifeſte contraria documenta*. Porro illud capitulum exſtat tum in veteri Ordine Romano, tum in Cottonianis quibuſque, & antiquioribus Symboli exemplaribus, teſte Uſſerio de Symbolis. Item in Gallicano Venantii Fortunati Symbolo, in quo *deſcendit ad infernum* legitur. Et apud Hiſpanos, anno Chriſti 785. Etherius Uxamenſis Epiſcopus, & Beatus presbyter contra Elipandum Toletanum Archiepiſcopum Symbolum Apoſtolicum protulerunt cum hoc articulo, *deſcendit ad inferna*. Apparet etiam Latine ac Graece in duplici Symbolo, quod viſitur in *Pſalterio Graeco Papae Gregorii*, ut praefert titulus, exiſtente in Benedictini apud Cantabrigienſes Collegii Bibliotheca. Item exſtat in Hildeberti Cenomanenſis de Confeſſione Sanctae Trinitatis Hymno, in quo, poſt praecedentium articulorum mentionem, haec habet .... *crucifixus, tumulatus,*

Obdormivit & deſcendit, reſurrexit & aſcendit:
Sic ad caelos elevatus, judicabit judicatus.

Et licet in Auguſtini Symbolo non compareat, in nonnullis tamen Occidentis Eccleſiae jam tunc exſtitiſſe credibile eſt; ſcribit enim Epiſt. 164. al. 99. cap. 5. n. 14. *Teneamus firmiſſime quod fides habet fundatiſſima auctoritate firmata, quia Chriſtus .... apud inferos fuit*. Hinc tamen haud credas velim ab Occidentis Eccleſiis hunc articulum aeque fuiſſe uſurpatum, ac a Graecis, in quibus magis ſollemne fuit, ac jamdiu ante Aquilejenſem ipſam Eccleſiam obtinuit. Quod enim idem Ruffinus ſubdit: *Neque in Orientis Eccleſiis habetur hic ſermo*; aut ibi mendum cubat, pro quo legendum *Occidentis*, aut Orientem acceptione minus lata ſumpſit, aut

tan-

tandem deceptus eſt. Habebat certe Sanctus Joannes Chryſoſtomus, qui in ſecundo Sermone de Symbolo deſcenſum ad inferos inter articulos collocat. Habebat Cyrillus Hieroſolymitanus, qui Catecheſi quarta hunc articulum adjungit Dominicae ſepulturae; ac *paſſum* dicit, *crucifixum*, *ſepultum* & κατελθόντα εἰς τὰ καταχθόνια, *deſcendiſſe ad loca ſubterreſtria, ſive ad inferna, ut juſtos inde redimeret*. Habebat & alter Cyrillus, Alexandrinus nempe, qui libro 8. de Caritate in fratres, haec ſcribit: *Chriſtus ...... cum pro hominibus pertuliſset mortem, ad inferna deſcendit*. Habebat item, ut antiquius teſtimonium aſſeramus, Symbolum in Ariminenſi Concilio propoſitum anno 359. ſub Conſtantio Imperatore ab Arianorum factione, a qua certe non tum primum fuerat inſertum atque excogitatum, ut pluribus demonſtrare poſſemus. Ariani enim, ut Orthodoxis fucum facerent, qui maxime fuerant indignati, eo quod contra Nicaeni decreta Concilii tertiam fidei formulam, Sirmii, editam, Euſebio & Hypatio Coſſ. per Valentem, & Urſacium obtuliſſent, omiſſa ὀσίας voce, quodque Patri ὁμοούσιος filius ſit; ad aſtus de more confugientes, alia verba ſubdole ſubſtituerunt, quibus videri poſſent ab ipſis minime diſſentiri. Talia autem ſunt: *Chriſtum unigenitum Filium Dei eſse ante omnia ſaecula, & initia; & ante omne tempus quod in intellectum cadere poteſt, exiſtentem. Deum de Deo, ſimilem Patri ſuo, qui ipſum genuit*. Et ſe Arianis infenſos eſſe ſimulantes, contra Lucianiſtas, alioſque Arii ſequaces Chriſti ad inferna deſcenſum confeſſi ſunt, ut ita ſuſpicionem negatae animae rationalis Chriſti penitus amoverent. Ob has aliaſque rationes in confeſſione Arianorum Ariminenſi mentionem invenimus, non crucifixi tantum Chriſti, atque mortui, verum etiam ad inferos delati; ut perageret ibi, quae praeſtare ipſum erat neceſſe, ſuoque aſpectu infernales cuſtodes terreret: legitur enim: *Hunc unigenitum Filium Dei, nutu paterno e caelo in terras adveniſse ſcimus ad peccatum abolendum, & ex Maria Virgine natum, verſatum cum diſcipulis, juxta Patris voluntatem omnem diſpenſationem adimpleviſſe, crucifixum, & mortuum eſse, & ad inferos deſcendentem, quae*

illic

pag. 27.

pag. mihi 207.

Apud Socratem Hiſt. Eccl. lib. 2. cap. 37.

Ibidem pag. 110.

illic agenda erant diſpoſuiſſe; *quem conſpicati inferorum janitores tremuerunt*. Qua de cauſa ſequenti anno Acaciani quoque Conſtantinopoli congregati eandem Ariminenſem fidem, nonnullis tantum de ſuo additis, confirmarunt; ac ita de

Ibidem apud eundem cap. 41. pag. 126. Chriſti humanitate confeſſi ſunt: *Hunc unigenitum Filium Dei ſcimus a Patre miſſum deſcendiſſe de caelis, ſicut ſcriptum eſt, ad deſtructionem peccati atque mortis*: *& ex Spiritu Sancto natum de Maria Virgine ſecundum carnem, & cum diſcipulis converſatum, & univerſa diſpenſatione juxta Patris voluntatem impleta, crucifixum, mortuum, ac ſepultum eſſe*, & ad inferos deſcendiſſe: *quem & ipſe orcus exhorruit*. Sed & Epiphanius novit, qui in Expoſitione Fidei edita a Cardinali Thomaſio Tomo 3. Inſtitutionum Theologicarum Divinam Chriſti naturam animam ejus ad inferos fuiſſe co-

pag. 463. mitatam, ſuaque virtute ejus dolores ſolviſſe, affirmat. Et

pag. 466. paullo infra, poſt mortem & ſepulturam, ſubdit: *Sanctiſſima ejus anima ad inferos deſcendit, indidemque captivitas animas eripuit*: *ſtimulum mortis infregit, clauſtra & adamantinos vectes perrupit*; *Inferorum dolores ſua poteſtate diſſolvit*: *tum una cum anima emerſit ad ſuperos*. Quin etiam, ni fallor, hujus articuli veſtigium apparet in Ignatii

§. 9. Epiſtola non interpolata ad Trallianos, ubi ait: *Obturate igitur aures veſtras, cum vobis quiſpiam loquitur ſine Ieſu Chriſto, qui ex genere Davidis, qui ex Maria, qui vere natus eſt, edit & bibit, vere perſecutionem paſſus eſt ſub Pontio Pilato*; *vere Crucifixus & mortuus eſt, videntibus caeleſtibus, terreſtribus*, & ſubterraneis, *qui & vere reſurrexit a mortuis*. Demum poſt reſcriptum Jeſu ad Agbarum Regem per Ananiam curſorem miſſum, Euſebius Hiſt. Eccleſ. lib. 1. cap. ultimo ſub finem, referens ex Edeſſeno archivo quae Thaddaeus ad Agbarum habuit, haec ſcribit: *Et Thaddaeus*: *nunc quidem, inquit, parcam dicere*; *quandoquidem ad verbum Dei palam omnibus nuntiandum ſum deſtinatus*. *Craſtino vero congrega mihi omnes cives tuos*. *Et verbum Dei coram illis praedicabo* .... *quo pacto ſemet ipſe depreſſerit, mortemque ſubierit, & divinitatem ſuam ipſe minuerit*: *quot & quanta a Judaeis perpeſſus, qualiter crucifixus ſit, &* AD INFEROS DESCENDERIT,

clau-

clauſtrumque ab omni aevo clauſum diſruperit: quo pacto reſurrexerit, & mortuos qui multis retro ſaeculis ſepulti jacebant, ſecum una ſuſcitaverit; utque ſolus quidem e caelo deſcenderit, aſcenderit vero ad Patrem cum maximo comitatu, & ad ejus dexteram bonorifice ſedeat in caelo: quo pacto iterum venturus eſt cum gloria ut de vivis ac mortuis judicium ferat. Hic, ut vides, Symbolum per ſumma capita recitatur. Quare haec Acta, licet ſuppoſititia a nonnullis habeantur, tamen venerandam ſapiunt antiquitatem, probantque luculentiſſime jam tum ab Apoſtolico aevo articulum de Chriſti deſcenſu ad inferos in Symbolum fuiſſe illatum. Id fuſo calamo placuit expendere; cum nonnulli ex recentioribus pro viribus conati ſint demonſtrare huncce Articulum Romanam Eccleſiam ab Aquilejenſi primum accepiſſe. Praetereo verba illa *deſcendit ad inferna* exſtare etiam in quatuor Symbolis Divo Auguſtino falſo adſcriptis, ur videre eſt Tomo V. *pag.* 279.
in appendice, nec non in libello *Emendationis* Confeſſionem *& ſeq.*
Fidei continente, quem ſcripſit Leporius Presbyter, cum Maſſilia ob haereſim ejectus, in Africa reſipuiſſet circa an. 425. ut videre eſt To. I. Venetae Sirmond. Operum edit. pag. 210. item in Reſcripto ad Vitalem & Conſtantium, ſcripto a Capreolo Epiſcopo Carthaginenſi circa an. 432. quod integrum publici juris fecit idem Sirmondus ibid. pagina 216. Haec enim parum nobis ſuffragari videntur, cum vetuſtiora exempla in medium protulerimus.

p *Ne in Filio Dei pleno &c.*

Ineluctabili argumento Apollinariſtas inſectatur noſter Athanaſius in Expoſitione articuli *de deſcenſu ad inferna*, cum inquit: *Ne in Filio Dei pleno dubitaretur fuiſſe hominis plenitudo, inſinuat nobis deſcendiſſe ad inferna confeſſio*. Si enim Chriſtum ad inferos deſcendiſſe credendum eſt, quid quaeſo eſt, niſi anima ejus quod eo commigravit. Nam Divina natura ubique erat, nec de loco in locum transferri poterat; corpus vero ſepulturae jam fuerat demandatum. Animam ergo Chriſti deſcendiſſe ſupereſt, quae ſi deſcendit, utique

que

que humanam eam fuiſſe fateantur oportet, cum brutorum tantum animae rationis expertes una cum ipſis emoriantur; noſtrae vero, utpote ſpiritales, poſt ſeparationem quoque a corpore ſuperſtites perſeverent. Hac validiſſima ratione ſaepiſſime antiqui Patres contra eoſdem haereticos uſi ſunt, ut
pag. 434 Epiphanius haereſi 77. aliique non pauci. Sed prae caeteris Magnus Athanaſius, qui ut mortem Chriſti evidentiſſime demonſtraret, ac proinde anima & corpore eundem con-
pag. 616. ſtitiſſe evinceret, Tomo 1. adverſus Apollinariſtas de In-
lib. 1. To. 1. part. 2. p. 933. carnatione Chriſti haec habet: *in ipſa Chriſti morte idipſum commonſtratur, quando corpus quidem uſque ad ſepulcrum tantum pervenit; anima vero ad infernum uſque tranſmeavit; locisque multo ſpatio diſtantibus, ſepulcrum quidem corporalem adventum excepit, ac ibi corpus adſuit; infernus vero incorporeum admiſit*. Deinde adverſus eoſdem ſic arguit, interrogando: *Quomodo itaque affirmabitis caeleſtem in Chriſto mentem fuiſſe, animae rationalis partes obeuntem? an in duas diviſum partes corpus ejus dicetis? an alia ejus pars in ſepulcro, alia apud inferos exſtitit? Quomodo fieri poteſt, ut qui animam non haberet, ad inferos deſcenderit?*

1 *Ne ..... Deus ..... apud inferos putaretur:* & paullo infra: *Chriſtus ad inferna deſcendit; ſed Deum mortis conditio non attingit.*

Rurſus Apollinariſtas aggreditur, ac ea potiſſimum utitur ratione, quam Magnus Athanaſius quoque Alexandrinus Epiſcopus adhibuit adverſus eoſdem de Incarnatione
Tomo 1. pag. 646. Chriſti, cum inquit: *Quomodo Verbum ad inferos deſcendere, vel inde redire etiam potuit? an animae noſtrae vices obiit, ut ſpeciem quandam reſurrectionis noſtrae ſimularet? At quomodo talia de Divina natura vel in mentem alicui poſſent venire? plane tales cogitationes ſacris Scripturis repugnant*. Porro ſi res ita eſſet, inde ſequeretur, ut ipſe pergit Tomo 7. de Salut. advent. Chr. adverſus Apollin.

Di-

Divinam naturam eſſe reſuſcitatam, cum neceſſe ſit reſurrectionis initia ab inferis repetere, ut perfecta & vera ſit reſurrectio, ſolutio nempe a morte, & liberatio Spiritus ibi adverſati; quapropter ita concludit: *Jam vero ſi hoc quidem Verbo evenit, quid factum dicemus neceſſario Divinae naturae attributo, immutabilitati*. Igitur Athanaſiani argumenti hoc caput erat, quod, nempe cum Chriſti deſcenſus ac mortis conditio Divinae ejus naturae tribui nequaquam poſſit; inde ſequeretur ad animam illum deſcenſum pertinere. Et hic animadverſione dignum eſt, quod Apollinaris haereſis in Synodo quadam Alexandrina damnata fuerit anno 362. ob quam nonnullae Orientis Eccleſiae, *deſcenſum ad inferna* in Symbolum invexerunt; ut ita, ſicut ait Auctor Hiſt. Symb. Apoſtolorum, veritas animae Chriſti invicta illa, quam deſcenſus ad inferos ſuppeditabat, ratione ſtabiliretur. Nos hujuſmodi Expoſitionem ad Athanaſii mentem ubique redegimus, ut ii qui Vigilium hujus Operis parentem volunt, hinc ſuam ſententiam tueri poſſint. Ipſum namque Vigilium, cum ſcripſit ſub Athanaſii nomine, ut Arianorum invidiam declinaret, procul dubio ejuſdem Magni Praeſulis ſententiis atque doctrinae addictiſſimum fuiſſe credendum eſt. Pag. 648.

r Aſcendit in caelos.

Ita & Ruffini Symbolum, nullo codice diſcrepante; ut alia praetermittam.

ſ Ne alium Chriſtum, &c.

Sanctus Cyrillus Neſtorii verſutiam detegit, qui etſi Chriſtos duos, aut perſonas duas in Chriſto minime palam verbo profeſſus ſit; attamen revera ita ſenſit, ut ex illius principiis oppido liquet: quamobrem Epiſtola 8. ait: *Quandoquidem ſcopum nunc habent, duos praedicare Chriſtos, ac duos Filios, & hominem ſeorſim, ac Deum ſeorſim conſtituere; eoque ſtabilito ſolarum perſonarum unitionem aſſerunt:* ad Cler. Conſt. Tomo 5. par. 2. pag. 33.

runt : ideo verſute agunt , & excuſationes in peccatis fingunt . Et lib. 2. contra Neſtorium Tomo VI. pag. 51. *par* ab illo *Filiorum Chriſtorum , & Dominorum invebi ,* ex ejuſdem oratione colligit. Fontem hujus impuri dogmatis deturbare videtur noſter Athanaſius, ac ad eos refellendos ſtylum convertere, cum inquit : *Aſcendit in caelos , ne alium Chriſtum in Filio Dei , alium in Filio hominis putaremus :* & ſupra , ubi de Virgine : *bonor materni ſexus incorruptae virginitatis profeſſione monſtratur , ne diviſus eſſet bomo , & Deus .* Quare hujus monumenti aetatem poſt oecumenicam Synodum Epheſinam celebratam anno 431. adverſus Neſtorianos figendam eſſe quis forte mihi reponet . Verum nonnulla protuli momenta rationum , quibus in contrariam ſententiam trahor , ac praeſertim quod beatam Virginem non θεοτόκον aperte dicat , ſed aſſerat ſubobſcure , prout illa tuliſſe videtur aetas , qua nondum Neſtorius in Mediatore θεανθρώπῳ duas admitti debere perſonas blateraverat; inquit enim: *Sed quamvis bomo naſceretur ex Maria , Dei tamen virtus probaretur ex Virgine .* Item unam in Chriſto Perſonam conceptis verbis nunquam nominat noſter Athanaſius ; quod maximi faciendum puto .

* *Sedet ad dexteram Patris .*

Miram noſtri Symboli antiquitatem probat Tertullianus; qui & ipſe ſic exhibet hunc articulum libro de velandis Virginibus cap. 1. Item adverſus Praxeam cap. 2. ac demum Praeſcriptionum cap. 13. quibus locis integrum Symbolum recitat , prout ejus aevo in Africae Eccleſiis obtinebat . Omiſſio ergo vocabulorum *Dei* & *Omnipotentis* ad aetatem Athanaſii inveſtigandam ſi quoquo modo conferre poſſit , ac Lectorem juvare , alii viderint . Nos id unum animadvertimus , fere ubique Scriptorem Afrum ſe prodere .

* *Inde venturus judicaturus , &c.*

pag. 655. Etiam Divus Auguſtinus Sermone 213. Tomo V. in tradi-

ditione Symboli tertio legit: *Inde venturus judicaturus &c.* Quare hic quoque noſter Athanaſius Africanae Eccleſiae lectionem mordicus tenet.

x

Cyprianus ac Tertullianus legunt ubique: *docete .... tinguentes*, pro *baptizate ... ... unguentes;* ſed quoniam de hac variante lectione jam multa praefati ſumus, ne crambem recoquere videamur, ad ea Lectorem remittimus. Primum mihi perſuadebam ex Antiquarii lapſu ſcriptum fuiſſe in codice *unguentes* pro *tinguentes*: cum hoc errore nil facilius ſit; ut in comperto eſt iis qui codices terunt. Etenim prima ſyllaba *tin* verbi *tinguentes* in *unguentes* transformatur, ſi tranſverſa tantum lineola litterae T ſcriptoris oculos fugerit, vel ex ipſius incuria, vel quia tempore obliterata in autographo amplius non appareret. Verum in contrariam ſententiam demum libentius deſcendi, cum baptizare, ac tinguere idem ſonet; nec in Afris Scriptoribus utrumque ſimul, ut in noſtra Pſeudo-Athanaſiana Enarratione fieret, ſit invenire.

y *Tres ſunt, qui teſtimonium, &c.*

Hoc Symboli Commentarium ad Tertullianeas locutiones praeſertim exegimus in praecedentibus adnotationibus, ut earum teſtimonio comprobaretur Auctorem de quo agimus Graecum non exſtitiſſe, ut titulus praeſefert in codice, ſed Latinum reapſe in Africana Eccleſia degentem, atque, ut videtur mihi, ante Vigilii Tapſenſis tempora: *Sicut* autem (ut inquit Millius) *Eccleſia Africana, Romanae propago,* In Graeca
dudum ab ipſis fidei incunabulis Italicae verſionis libros ſa- N.T. edit.
cros acceperat, Evangelia ſaltem, & Epiſtolas Paulinas; pag. 743.
ita jam tum & Catholicas (quarum quod pleraeque minoris quam reliquae, quae ad certas Eccleſias miſſae ſunt, auctoritatis in Eccleſia eſſent, exemplaria erant rariora) in manus Doctorum ejus Eccleſiae deveniſſe certiſſimum eſt. His paullo poſt plantatam in Africa fidem, uſos credo Ter-

 tul-

tullianum & Cyprianum ; & quidem Joannis Epiſtolam Commate hoc ſeptimo (quo mutilata fuiſſe jam ab initio Latina ſuſpicor) auxiſſe ex Graecis, quae penes eos erant, exemplaribus . Haec ille . Quamobrem cum clare conſtet Athanaſium noſtrum in proferendis ſacrae Scripturae teſtimoniis Italam ubique ſectari , ac illi κατὰ πόδα ſemper inſiſtere, ut vidimus ad ea verba : *videbunt in quem compunxerunt* ; item ad illa : *Ite baptizate gentes unguentes eas in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti* : cumque non futilibus argumentis probaverimus Afrum Scriptorem fuiſſe ; felici conjectura determinare poſſe mihi viſus ſum , monumentum a nobis nunc primum in lucem prolatum maximi faciendum eſſe , vel ex eo quod contra Unitarios caeleſtia teſtimonia ex Epiſtola Joannis exhibeat indubie , atque eorum αὐθεντίαν a Ricardo Simonio , aliiſque pro viribus impetitam luculenter adſtruat atque confirmet . Conſulto dictum eſt *indubie* ; cum Tertulliani, & Cypriani auctoritates (quae unicae allegantur , ad comprobandum hunce verſiculum ſeptimum diſertiſſimis verbis ſub Joannis nomine ab ipſis fuiſſe prolatum, adeoque a codicibus ſacris Africanae Eccleſiae tunc temporis non abfuiſſe) ad verſum octavum referendas eſſe Critici non pauci hodie etiam contendant . Equidem probe ſcio Hammondum , Bullum, alioſque conſtanter aſſerere Tertullianum ad verſum ſeptimum reſpexiſſe , cap. 25. lib. contra Praxeam , cum dixit: *Caeterum de meo ſumet* (Paracletus) *ſicut ipſe de Patris: ita connexus Patris in Filio , & Filii in Paracleto , tres efficit cohaerentes, alterum ex altero. QUI TRES UNUM SUNT, non unus.* Itemque compertum habeo ea Cypriani verba de Unitate Eccleſiae: *Dicit Dominus , EGO ET PATER UNUM SUMUS: & iterum: de Patre, Filio, & Spiritu Sancto ſcriptum eſt : ET HI TRES UNUM SUNT*, a Fulgentio Africano ad caeleſtia teſtimonia fuiſſe relata; ſcribit enim : *Beatus Joannes Apoſtolus teſtatur dicens: TRES SUNT QUI TESTIMONIUM PERHIBENT IN CAELO , PATER , VERBUM, ET SPIRITUS: ET TRES UNUM SUNT . Quod etiam beatiſſimus Martyr Cyprianus in „ Epiſtola de Unitate Eccleſiae confitetur dicens:* Qui pacem Chri-

„ Chriſti & concordiam rumpit, adverſus Chriſtum facit :
„ quia alibi praeter Eccleſiam colligit, Chriſti Eccleſiam ſpar-
„ git . *Atque ut unam Eccleſiam unius Dei eſſe monſtraret*,
„ *haec confeſtim teſtimonia de Scripturis inſeruit :* Dicit Domi-
„ nus, *Ego & Pater unum ſumus*: & iterum*:* de Patre, Fi-
„ lio, & Spiritu Sancto ſcriptum eſt: *& tres unum ſunt*.
Sed nihilominus hujuſmodi auctoritates adhuc in dubium a nonnullis revocantur, eo quia etiam verſus octavus, *Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra &c.* verbis in Vulgata iiſdem editione, quibus & in Italica abſolvebatur *: Et hi tres unum ſunt*. Praeterea ajunt, ea Tertulliani verba deſumpta fuiſſe ex illo ſacrae Scripturae loco, quem ipſe poſt Pericopem, *Qui tres unum ſunt, non unus*, ſtatim ſubjecit, nempe : *Quomodo dictum eſt*, *EGO ET PATER UNUM SUMUS* Id ipſum vero dictum volunt etiam de Cypriano, quem pari jure de verſu octavo locutum fuiſſe contendunt; freti teſtimonio Facundi Hermianenſis Epiſcopi, qui libro primo pro defenſione trium Capitulorum haec ſcribit: *Aut ſi forſitan ipſi qui de verbo contendunt, in eo quod dixit*: Tres ſunt qui teſtificantur in terra, Spiritus, Aqua, & Sanguis, & hi tres unum ſunt, *Trinitatem, quae unus Deus eſt, nolunt i.telligi, ſecundum ipſa verba quae poſuit pro Apoſtolo Joanne reſpondeant. Numquid hi tres qui in terra teſtificari, & qui unum eſſe dicuntur, poſſunt Spiritus, aut Aquae, aut Sanguines dici? Quod tamen Joannis Apoſtoli teſtimonium Beatus Cyprianus Carthaginenſis Antiſtes, & Martyr in Epiſtola, ſive libro, quem de Trinitate ſcripſit, de Patre, Filio, & Spiritu Sancto dictum intelligit. Ait enim*, DICIT DOMINUS &c. ut ſupra.

Ego quidem de allatis auctoritatibus ita cenſeo : intelligendas eſſe de illo Joannis teſtimonio ſeptimo verſu relato. Verum id etiam addo, quod ſi haec in utramque partem exagitata Cypriani ac Tertulliani teſtimonia excipiantur, dicta Joannis Pericope nunc demum ope Veronenſis codicis dubio procul authentica comprobatur; quia nempe noſter Athanaſius Africanae Eccleſiae Scriptor Italicae Verſioni nondum a Hieronymo emendatae in allegandis ſacrae Scri-

ptu-

pturae locis ſemper adhaeſit, ac Pelagii haereſim aetate praeceſſiſſe videtur. Igitur falſitatis arguitur illa quorundam eruditorum opinio, quae in publicis libris Africanae Eccleſiae verſum ſeptimum antiquitus non exſtitiſſe cuique hactenus perſuaſit. Certe legebatur in confeſſione fidei Hunnerico Vandalorum Regi anno 484. oblatae ab Eugenio Epiſcopo Carthaginenſi, aliiſque Orthodoxis Epiſcopis; in ea namque ita habetur: *Et ut adhuc luce clarius unius Divinitatis eſſe cum Patre & Filio Spiritum Sanctum doceamus, Joannis Evangeliſtae teſtimonio comprobatur: aït namque*, Tres ſunt qui teſtimonium perhibent in caelo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus; & hi tres unum ſunt. *Nunquid, ait, tres in differenti qualitate ſejuncti, aut quiſlipag 745. bet diverſitatum gradibus longo ſeparationis intervallo diviſis, ſed tres, inquit,* UNUM SUNT. Haec vero ut ait Millius, *eſt ſententia totius Eccleſiae Africanae Regis juſſu prolata. Neque fieri quidem poteſt, ut textum hunc citaverint, ſi aut non exſtitiſſet in Epiſtola, aut etiam pro inſititio haberetur, cum Arianis, qui aderant, fraus ita facile patuiſſet*. Vigilius item Tapſenſis Epiſcopus in libro contra Varimadum Arianum, ſub Idacii Clari nomine in Bibliotheca Patrum emiſſo, hoc teſtimonium protulit, dicens: *Item ipſe* (Sanctus Joannes Evangeliſta, cujus Evangelium ante allegaverat) *ad Parthos: tres ſunt qui teſtimonium perhibent in terra, Aqua, Sanguis & Caro; & tres in nobis ſunt. Et tres ſunt qui teſtimonium perhibent in caelo, Pater, Verbum, & Spiritus; & ii tres unum ſunt*. Quare fas ſit dicere e Veronenſis Bibliothecae pluteis duo praeſtantiſſima anecdota monumenta prodiſſe, Caſſiodorium nempe, & noſtrum Athanaſii Opus de Symbolo, quibus Unitarii tandem aliquando ſe dedant neceſſe eſt.

ι In Sanctam Matrem Eccleſiam.

Divus Cyprianus Sanctam Eccleſiam ſaepiſſime matrem cap. 1. pag 136. vocat: & ita Tertullianus in lib. ad Martyras. Item de Ba-

Baptiſmate, & de Oratione ubi ait: *Ne mater quidem Ec-* cap. 1.
cleſia praeteritur; quo loci obſervat Gabriel Albaſpineus pag. 136.
quod *Eccleſiam eam intelligit, quam in Patre, Filio, &* cap. 20. pag. 232.
Spiritu Sancto pluribus locis conſtitutam eſſe affirmat, ut de cap. 2. pag. 130.
Bapt. & de Pud. cap. 21. Quibus locis exiſtimat Tertull. Ec-
cleſiam eſſe in Patre, Filio, & Spiritu Sancto; ſed prae-
cipue in Spiritu Sancto: unde concludit hoc loco mentionem
fieri Spiritus, & Eccleſiae in oratione Dominica, quando di-
cimus Pater noſter: *qui enim invocat Patrem, Filii quoque*
& matris Eccleſiae, ſive Spiritus Sancti nomen implorare
videtur; atque ita uno nomine, Patris videlicet, tres Per-
ſonae recenſentur. Quae Tertulliani doctrina nobis innuit
non obſcure cur poſt Spiritum Sanctum, Sanctam Eccleſiam
matris nomine noſtri Athanaſii Symbolum commendaverit.
Hoc additamentum Africanae Eccleſiae peculiare fuiſſe vi-
detur, ac ex eo ortum puto, quod, ut inquit Cyprianus de
Unitate Eccleſiae, *Eccleſiam in Cantico Canticorum Spiri-* Cant. 6.
tus Sanctus ex Perſona Domini deſignat, & dicit: Una eſt
columba mea, perfecta mea, una eſt matris ſuae, electa ge-
netrici ſuae. Porro Auguſtini tempore τὸ *Matrem* ſin mi-
nus exſtabat in Symbolo, ſaltem enarrabatur; ut colligere
eſt ex iis quae Sanctus Doctor habet ad hunc articulum
Sermone 214. qui eſt in traditione Symboli ſecundus: *Sic*, Tom 5.
inquit, *ſe habet Eccleſia Catholica mater noſtra, ve-* pag. 655.
ra illius ſponſi conjux. Et paullo infra, ibidem: *Virgo eſt*
Eccleſia. Dicturus es mihi forte, ſi Virgo eſt, quomodo pa-
rit filios? aut ſi non parit filios, quomodo dedimus nomina
noſtra, *ut de ejus viſceribus naſceremur. Reſpondeo & Virgo*
eſt & parit. Mariam imitatur quae Dominum peperit. Et in pag. 660.
ſequenti Sermone pariter in traditione Symboli ait: San-
ctam *quoque* Eccleſiam *matrem veſtram, tamquam ſupernam*
Jeruſalem Sanctam civitatem Dei bonorate, diligite, prae-
dicate.

Tabula in qua quatuor antiqua comparantur Symbola.

VULGARE	AQUILEJENSE	ORIENTALE	ROMANUM
1 Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, Creatorem caeli & terrae	1 Credo in unum Deum Patrem omnipotētem. *In antiquis Morelli & Cauchii editionibus legitur: IN DEO PATRE OMNIPOTENTE & ita in poſtrema quā Baluzius adbornavit*	1 Credo in unum Deum Patrem omnipotentem inviſibilem & impaſſibilem.	1 Credo in Deum Patrem omnipotentem.
2 Et in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum.	2 Et in Chriſtum Jeſum unicum Filium ejus Dominum noſtrum.	2 Et in unum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium ejus.	2 Et in Chriſtum Jeſum unicum Filium ejus Dominum noſtrum.
3 Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.	3 Qui natus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine	3 Quemadmodum in Aquilejenſi.	3 Quemadmodum in Aquilejenſi.
4 Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus, deſcendit ad inferos	4 Crucifixus ſub Pontio Pilato, & ſepultus, deſcendit ad inferna.	4 Crucifixus ſub Pontio Pilato, & ſepultus.	4 Quemadmodum in Orientali.
5 Tertia die reſurrexit a mortuis.	5 Itidem.	5 Itidem.	5 Itidem.
6 Aſcendit ad caelos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.	6 Aſcendit ad caelos ſedet ad dexteram Dei Patris.	6 Quemadmodum Aquilejenſe, niſi quod quidam adjiciunt *omnipotentis*, ut in Vulgari.	6 Quemadmodum Aquilejenſe.
7 Inde venturus eſt judicare vivos, & mortuos	7 Itidem.	7 Itidem.	7 Itidem.
8 Credo in Spiritum Sanctum	8 Et in Spiritum Sanctum	8 Quemadmodum Aquilejenſe.	8 Quemadmodum Aquilejenſe.

9 Sanſtam Eccleſiam Catholicam , Sanſtorum Communionem	9 Credo Sanſtam Eccleſiam . *Pamelius addit* CATHOLICAM,*ſed male;Ruffinus enim id vocis non explicat, nec verba* SANCTORUM COMUNIONEM .	9 Idem cum Aquilejenſi	9 Idem cum Aquilejenſi .
10 Remiſſionem Peccatorum .	10. Itidem.	10. Itidem .	10. Itidem .
11 Carnis Reſurrectionem .	11 Hujus Carnis Reſurrectionem .	11 Quemadmodum in Vulgari .	11 Quemadmodum in Vulgari.
12 Vitam aeternam. Amen .	12 Deeſt .	12 Deeſt .	12 Deeſt.

Digitized by Google

VIGILII TAPSITANI
SEU IDATII CHRONOGRAPHI
DE TRINITATE AD THEOPHILUM
LIBER SEXTUS

NUNC PRIMUM GENUINUS ATQUE ASSUMENTIS CARENS PROLATUS.

Ex eodem vetuſtiſſimo Codice Capitulari.

IN SEQUENTEM LIBRUM

MONITUM.

CLariſſimus Montfauconius in admonitione in libros de Trinitate, quorum hic ſextum damus, *Multis*, inquit, *varietatibus mutationibusque obnoxius fuit horumce librorum ordo atque numerus. Nec minores in contextum invectae ſunt mutationes, & additiones, ut monuit noſtri Codicis eſcriptor; quae tamen in Athanaſianis editis non comparent. Ut autem Lectori ſtudioſo in promptu ſit, eas a primigenio contextu diſcernere, uncinis incluſimus quidquid novi ex Manuſcriptis huc tranſmiſſum fuit.* Sed ut fatear ingenue, quae in ſexto libro anſulis clauſit, fere omnia apparent etiam in Chiffletiana Vigilii Tapſenſis editione, ut videre eſt Tomo 8 Bibliothecae Patrum. Codex praedictus Sangermanenſis, quo utitur, eſt numeralis notae 724 ſexcentorum circiter annorum. Ac octavus de Trinitate liber in haec verba deſinit. *Corona autem capitis continet purpuram & hominem; unum imperium virtutis oſtendit: ſic Pater in Filio, & Filius in Patre: Spiritus autem Sanctus conjunctio*, * *Deitas, virtus, & unitas Trinitatis.* Poſt haec leguntur: *Explicit liber octavus Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Athanaſii Epiſcopi. Hos libellos* VIII *tranſcripſi, qui* MULTA ADDITA & IMMUTATA *continent*. Hinc ergo liquet antiquitas noſtri Codicis, qui illis additamentis atque immutationibus jam a ſexcentis & amplius annis in hoſce de Trinitate libros illatis penitus caret, ac genuinam exhibet letionem.

To. II. Operum S. Athanaſii edit. Paris. 1698. pag 602.

*Reg. *Deitatis*.

EDI-

EDITIO

S. PATRIS NOSTRI ATHANASII

Archiepiſcopi Alexandrini

De Beatitudine Fidei, & de Praeſcriptione Sectae peſſimae.

Liber Sextus.

INTERROGATIO

POſco a te, de unito Deitatis nomine multifarie dictum ut identidem repetas; & ſic de nominibus perſonarum in proſequendo diſtinguas. *Reſponſio*. Diſce prius in ambiguo eſſe poſitam hanc tuam ſecundam interrogationem: Nonne unitas nullo modo patitur unionis perſo-

nam

CODEX VERONENSIS

CIRCA SEPTIMUM SAECULUM EXARATUS

XXIV. Incipit Fides Sancti Athanaſii.

* Pater Deus, Filius Deus, Spiritus Sanctus Deus; & tres unum ſunt. Tres itaque formas, & una poteſtas. Si quis hanc profeſſionem habet, beatitudinem ejus adipiſcitur.

* Sermo 234, qui eſt de Fide Catholica ſecundus (Tomo V. in appendice pag. 271.) Auguſtino falſo tributus, complectitur excerpta duo, unum ex Fauſti Regienſis Opuſculo, cui titulus, *De ratione Fidei ad obiecta quaedam reſponſio*; alterum ex Vigilii Tapſenſis libro de Trinitate ſexto, quem modo genuinum, ac aſſumentis carentem damus. Ut autem Lectorem quoquomodo juvare poſſemus, ex adverſo, ut vides, textum placuit apponere, prout exſtat Tomo II. pag. 619. in emendatiſſima Sancti Athanaſii Operum editione a Cl. Montfauconio adornata anno 1698. Item ut verba verbis ex aequo reſponderent, in duas columnas utriuſque lectionem partiti ſumus, interjectis identidem conſulto lacunis in noſtri codicis editione; ut ex ipſis facili negotio cuique conſtaret, quid recentioribus Manuſcriptis libris, ac editis acceſſerit additum a neſcio quo, quidque Vigilio Tapſenſi, ſeu ut nonnulli volunt, Idatio Provinciae Gallaeciae Epiſcopo, Chronicorum Scriptori, tamquam genuino parenti adjudicandum ſit.

nam in confeſſionem introduci ? dum unitatis naturae nomen in tribus his perſonis ſit : & tres hae perſonae in nominibus tantum diſtinctae ſint: unde non poteſt unitas oſtendi in perſonis: nec, ut dixi, hae perſonae ſine Deitatis unitate. Numquid potes Deum tantum ſicut gentes confuſe nominare, qui & in hoc ignorant, cui propriam perſonam debeant aſſignare? Qui genitor eſt numquid oportet hunc Deum tantum putare indicari? Niſi in hoc cognoſcas unitam perſonam ejus diſtinguere in Filium qui natus ſit. Numquid ſic confuſe Deum tantum convenit profiteri, niſi prius credatur, & is qui de unita natura ſit, & in hoc perſona ejus diſtinguatur, qui nec Pater, nec Filius, eſt hic Spiritus Sanctus? Quapropter duplex eſt hujus

my-

myſterii intellectus, Deus Pater, Deus & Filius, Deus & Spiritus Sanctus? Vides unitatis inditium in tribus eſſe perſonis, & tres has perſonas nominibus tantum eſſe diſcretas? Unde nec unitas poteſt oſtendi ſine perſonis, nec hae perſonae ſine unito nomine Deitatis. Ecce jam habes poſitos ante oculos tuos, theſauros lucis, & theſauros tenebrarum, ubi ubi placet, porrige manum tuam. Unde neceſſe eſt nos jam terminum immobilem, ſecundum Evangelicae regulae aequitatem, contra hoſtes figere, & per librantem ſapientiam limitem Juſtitiae ubique adverſus omnes limites ſanctos peragrantes cuſtodire, & caelitus haec ſtatuta veritas mox viam lucis a tenebris dividat. Haec eſt, inquam, via lucis cujus in confeſſione aperitur oſtium ſalutis :
ita-

itaque qui hanc profeſſionem ingrediuntur, beatitudinem ejus adipiſcuntur. Beatitudo ei, qui confitetur unum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. Beatitudo ei, qui confitetur ſolum Deum Patrem, & Filium, & Sanctum Spiritum. Beatitudo ei, qui confitetur unum omnipotentem Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. Beatitudo ei, qui confitetur unum verum Deum Patrem, & Filium, & Sanctum Spiritum. Beatitudo ei, qui confitetur unum Deum ſummum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. Beatitudo ei, qui confitetur unum Deum bonum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum ſempiternum eſſe. Beatitudo ei, qui confitetur indiviſam eſſe ſubſtantiam Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

Bea-

Beatitudo ei, qui confitetur unum Deum Patrem, & Filium, & Sanctum Spiritum. Beatitudo ei, qui confitetur ſolum Patrem, & Filium, & Sanctum Spiritum. Beatitudo ei, qui confitetur unum omnipotentem Deum Patrem, & Filium, & Sanctum Spiritum.

Beatitudo ei, qui confitetur unum ſummum Deum Patrem, & Filium, & Sanctum Spiritum.

Beatitudo ei, qui confitetur indiviſam ſubſtantiam eſſe Patris, & Filii, & Sancti Spiritus.

Beatitudo ei, qui nihil addiderit, vel diminuerit in confeſſione unitae naturae Deitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Beatitudo ei, qui confitetur ómnia bona facta fuiſſe a Patre, & Filio, & Sancto Spiritu. Beatitudo ei, qui confitetur unam aequalitatem in ſempiterna plenitudine Deitatis eſſe Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Beatitudo ei, qui ſecundum ſingula nomina Trinitatis, ideſt, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti proprias his tantum perſonas diſtinctas eſſe confitetur. Itaque idem ipſa refrico, quia vehementer timeo, ne aliquid offendiculum minus intelligentibus poſuerim, adeo per apertiores ſermones haec ipſa dicta paucis exponere deſidero. Ergo ubi unum Deum memini, unitam DeitatemPatris, & Filii,

&

Beatitudo ei, qui nihil addiderit vel minuerit in unita natura Patris, & Filii, & Sancti Spiritus. Beatitudo ei, qui confitetur omnia bona facta fuiſse a Patre, & Filio, & Sancto Spiritu. Beatitudo ei, qui confitetur unam aequitatem in ſempiterna plenitudine Deitatis eſse Patris, & Filii, & Sancti Spiritus. Beatitudo ei, qui ſecundum ſingula nomina Trinitatis, ideſt, Patris, & Filii, & Sancti Spiritus, proprias tantum Perſonas diſtinctas eſſe confitetur. Itaque eadem repeto, quia vehementer timeo ne aliquod offendiculum minus intelligentibus poſuero: ideo per apertiores ſermones haec ipſa dicta paucis exponere deſidero verbis. Ego unum Deum ubi memini, ad unitam Deitatem Patris, & Filii, & Sancti Spiritus.

ritus.

& Spiritus Sancti declaravi. Item omnipotentem Deum ad omnipotentis ſubſtantiam Trinitatis propalavi. Item ſolum Deum, ad ſolius naturae ſupraſcriptae Trinitatis indicavi. Identidem unum verum Deum, de una vera natura Divinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, haec ipſa dicta retuli. Aut in quo ſummum Deum, ad ſummitatem Deitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti adſignavi. Sive unum bonum Deum ad unam bonitatem naturae Trinitatis demonſtravi, & unum Deum ad unitam dominationem Deitatis revelavi. Seu in quo individuam Trinitatem memoratus ſum, ad unitam ſubſtantiam plenitudinis eorum haec praefatus ſum. Et haec omnia quae ſuperius ſingula indicavi, ad indiviſam Deitatis ſem-

ritus declaravi. Item ſolum Deum ad ſolius naturae ſupraſcriptae Trinitatis indicavi. Item omnipotentem Deum, ad omnipotentem ſubſtantiam propalavi. Item unum Deum ad unam veram naturam Patris, & Filii, & Sancti Spiritus haec dicta rettuli. Aut in quo ſummum Deum, ad ſummitatem Deitatis Patris, & Filii, & Sancti Spiritus adſignavi. Sive unum bonum Deum, ad unam bonitatem naturae Trinitatis demonſtravi. Et unum Deum ad unitam dominationem Deitatis nominavi.

Ad unitatis ſubſtantiae plenitudinis eorum haec praefatus ſum. Haec quae ſuperius ſingula indicavi individuam ſempi-

ſempiternitatem Patris, & Filii, & Spiritus Sanctι manifeſtavi. Ac per hoc de unito nomine Deitatis, mul tifarie quamvis ſit dictum per ſingulas perſonas, quod retuleris in Patre, hoc ipſum ut confitearis neceſſe eſt uniter & in Filio (Deum de Deo, lumen de lumine, totum de toto, & totum in toto, perfectum de perfecto, plenitudinem de plenitudine, integrum de integro, ſempiternum de ſempiterno, ſapientiam de ſapientia, virtutem de virtute, unum de uno, & unum in uno, verum de vero, Filium de Patre natum, non factum, unius ſubſtantiae cum Patre; ſed & Spiritum Sanctum qui de unita Trinitate conſiſtit: Deum verum, lumen verum, totum perfectum, totum plenum, integrum, ſempiternum in ipſa ſapientia, virtu-

piternitatem Deitatis Patris, & Filii, & Sancti Spiritus manifeſtavi, ac per hoc de unito nomine Deitatis multifarie quamvis dictum per ſingulas perſonas, in Patre, hoc ipſum confitearis uniter eſse & in Filio, ſic & in Sancto Spiritu.

tem praeſcientiae Patris, & Filii conſiſtentem) Idcirco qui legis, conteſtor ego hodie tibi caelum, & terram, per hanc Scripturae meae fidei Catholicae profeſſionem: quod ſi non ex toto corde eam fueris proſecutus, aut in faſtidio animi contemnendam ac detractandam habere putaveris, eris tu ipſe reus in die judicii, cum hujus Scripturae chirographum ante tribunal Chriſti in teſtimonium tibi fuerit recitatum, aut ſi in maledictionis via haereticorum, quod non opto, inventus fueris ex animo ſociatus. Quae ergo ut a te caveantur, ideo inferius tibi recitabuntur. Haec eſt, inquam, fugienda atque praecavenda via tenebrarum, in qua tot genera ſerpentium lubricos habent anfractus, adverſus quos oportuit nos ſcutum fidei

Idcirco qui legis, teſtor ego hodie tibi caelum, & terram per hanc Scripturam, meae fidei Catholicae confeſſionem, quod ſi non ex toto corde eam fueris proſecutus, aut ſi in faſtidium animi contemnendum, ac detractandum habere putaveris, eris tu ipſe reus in die judicii, cum hujus Scripturæ chirographum ante tribunal Chriſti, in teſtimonium tibi fuerit recitatum. Aut ſi maledictionis viae haereticorum, quod non opto, inventus fueris ex animo ſociatus, 3 Quae res ergo ut ut a te caveatur: ideo inferius recitabuntur maledictiones omnium male credentium, ſicut ſcriptum eſt:

per

per nomina vera perſonarum confitentes erigere, ut ſecundum ipſam auctoritatem eos divinitus jaculemur, unde tot & talia proferenda ſunt ferramenta ſpiritualia, quot & vulnera reſecanda: ac per hoc non fuit diſſimulanda cauſa mortifera, quoniam non poterant ea prius per fomenta blandiri, & ita ad medelam ſalutis accedere, ne interiora eorum curarentur; ſemper ſerpit in eos cancer. Nam ſi velint ſeveritatis prius ferramenta recipere, facile poterant ad medelam ſalutis pervenire. Sed quoniam adhæſit in illis radix zizaniae, germinans in felle amaritudinis, propterea diffidunt introire in viam confeſſionis ſalutaris, quia haec via lucis ſcandalum eſt illis. Unde oportet nos oſtendere eis, quos edant viae ſuae fructus maledictionis homi-

minum male credentium, ſicut ſcriptum eſt: Maledictus omnis, qui non obaudierit verba libri hujus, ut faciat ea in corde ſuo. Maledictus qui Patris, & Filii, & Sancti Spiritus unitam ſempiternam ſubſtantiam Divinitatis eſſe non confitetur: fiat, fiat. Maledictus, qui ſecundum tres perſonas, tres diverſas ſubſtantias in his eſſe confitetur: fiat, fiat. Maledictus, qui tria principia in hac eorum unitate ſempiterna Deitatis eſſe confitetur: fiat, fiat. Maledictus, qui ſolum verum Deum Patrem, & unigenitum verum Filium, & unicum verum Deum Spiritum Sanctum non confitetur: fiat fiat. Maledictus qui unitum nomen ſecundum Deitatem Trinitatis eſſe non confitetur: fiat, fiat. Maledictus, qui inconvertibilem Divinitatem Filii Dei, ideſt,

Maledictus omnis, qui non obaudierit verba libri hujus, ut faciat ea in corde ſuo. Maledictus, qui Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ſempiternam ſubſtantiam eſſe non confitetur. Maledictus, qui ſecundum tres perſonas; tres diverſas ſubſtantias eſſe confitetur. Maledictus, qui tria principia eorum eſſe confitetur. Maledictus, qui ſolum verum Deum Patrem, & unicum Deum verum Filium, & unum Deum verum Sanctum Spiritum non confitetur. Maledictus, qui unicum nomen Deitatem Trinitatis eſſe non confitetur.

ideſt, Verbum Dei, ſic in carne translatum vel mutatum profitetur, ut hoc modo deſiverit aut amiſerit quod jampridem ante aſſumtionem hominis fuerit, praeſertim cum talis in homine praeſenti tempore fuerit, & ſit, qualem ſe ſemper ante aſſumtionem hominis una cum Patre fuiſſe conſciverit: fiat, fiat. Maledictus, qui indiviſam Deitatem Patris, & Filii, & Spiritus Sancti non confitetur: fiat, fiat. Maledictus, qui propter tria nomina perſonarum, tres Deos, aut tres ſubſtantias, aut tres ſpiritus confitetur: fiat, fiat. Maledictus, qui ſecundum ſingulas perſonas tria nomina tantum diſtincta Patris, & Filii, & Spiritus Sancti non confitetur (: fiat, fiat. Maledictus, qui propter tria nomina perſonarum, & unitam plenitudinem Divinita-

tis

Maledictus, qui indiviſam Deitatem Patris, & Filii, & Sancti Spiritus non confitetur. Maledictus qui propria nomina perſonarum tres Deos, aut tres Dominos, aut tres ſpiritus confitetur. Maledictus qui ſecundum ſingulas perſonas tria nomina tantum diſtincta Patris, & Filii, & Sancti Spiritus non confitetur.

Editi *tetragonium.*

tis incomparabilem trigonium, vel certe trigerum Patri, & Filio, & Spiritui Sancto comparat, aut tria capita in ſe cohaerentia, ut philoſophi dicere conſueverunt, aut unam perſonam profitetur: fiat, fiat.) Maledictus, qui unam perſonam Patris, & Filii, & Spiritus Sancti confitetur: fiat, fiat. Maledictus, qui quem Filium dicit, hunc eumdem & Patrem confuſe deſignat: fiat, fiat. Maledictus, qui Patrem natum, aut incarnatum, aut paſſum eſſe confitetur: fiat, fiat. Maledictus, qui inenarrabiliter Filium vere genitum de ſubſtantia Patris eſſe non confitetur: fiat, fiat. Maledictus, qui hanc nativitatem incomparabilem factam, aut creatam vel conditam eſſe confitetur (: fiat, fiat. Maledictus, qui adverſus hanc inaeſtimabilem ge-

Maledictus, qui unam perſonam eorum eſſe confitetur. Maledictus, qui quem Patrem dicit, hunc eumdem & Filium eſſe deſignat. Maledictus, qui Patrem natum, incarnatum, aut paſſum eſſe confitetur. Maledictus, qui inenarrabiliter Filium vere natum de ſubſtantia Patris eſſe non confitetur. Maledictus, qui hanc nativitatem vel creatam, vel conditam eſſe confitetur.

generationem Deitatis, aliquam de factura ejus crediderit proprie in confeſſionem adferre vobis comparationem: fiat, fiat.) Maledictus, qui verum Filium Dei ex voluntate tantum dicit eſſe, & non potius de nativitate: fiat, fiat. Maledictus, qui dicit, erat tempus, quando non erat Filius: fiat, fiat. Maledictus, qui hanc Dei nativitatem ex nullis exſtantibus phantaſma eſſe con-
ἐξ οὐκ ὄντων fitetur, quod Graeci exuconton appellant: fiat, fiat. Maledictus, qui Divinitatem Filii Dei dicit initium habere de tempore, ortum ex nihilo, nomen quaſi adoptionis acceſſiſſe nuper ex altero: fiat, fiat. Maledictus, qui unum de uno, Filium de Patre vere natum non confitetur: fiat, fiat. (Maledictus, qui impaſſibiliter Filium natum de Patre

Maledictus, qui verum Filium Dei ex voluntate tantum dicit eſſe, & non potius de nativitate. Maledictus, qui dicit: erat tempus quando non erat Filius. Maledictus, qui hanc nativitatem ex nullis exſtantibus phantaſma eſſe confitetur. Maledictus, qui Divinitatem Filii Dei dicit initium habere de tempore, [4] ortum ex nihilo, nomen quaſi adoptionis ex altero.

Maledictus, qui unum Filium ex uno Patre natum non confitetur. Maledictus, qui impaſſibiliter Filium natum de Patre non confitetur. Maledictus, qui dicit: fuit Pa-

tre non confitetur : fiat, fiat.) Maledictus, qui non confitetur, ante omne omnino principium vel initium ſemper fuiſſe Filium cum Patre: fiat, fiat. Maledictus, (qui haec tria nomina, ideſt, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti in unam tantummodo perſonam Patris eſſe confitetur, & non tres ſecundum ipſa nomina vera perſonarum: fiat, fiat) Maledictus, qui immortalem Divinitatem Filii Dei eſſe non confitetur: fiat, fiat. Maledictus, qui de ſempiterno Filio Dei dicit: non erat antequam naſceretur: fiat, fiat. Maledictus, qui unitam Deitatem Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ex caritate concordiae tantum eſſe profitetur, & non magis per hanc ipſam unitam Divinitatem (vel plenitudinem Divinae Trinitatis indiviſam eſſe non

Pater aliquando ſine Filio. Maledictus, qui non confitetur ante omne principium vel initium; qui immortalem Deitatem Filii Dei non confitetur.

Maledictus, qui de ſempiterno Filio dicit: non erat antequam naſceretur. Maledictus, qui 5 unitam Deitatem Patris, & Filii, & Sancti Spiritus ex caritate concordiæ tantum eſſe profitetur, & non magis per hanc ipſam unitam Divinitatem.

non confitetur: fiat, fiat.
Maledictus, qui unitam
ſempiternam Divinita-
tem incomparabilem Pa-
tris, & Filii, & Spiri-
tus Sancti non confite-
tur: fiat, fiat.) Maledi-
ctus, qui adverſus vigo-
rem & cenſuram Divinae
Scripturae hunc verum
Deum Spiritum paracli-
tum, Patrem, aut Fili-
um, vel certe facturam
uſurpat debere confiteri:
fiat, fiat. Maledictus,
qui Filium Dei, Deum
verum, & hominem ve-
rum, de Maria Virgine
nuper aſſumſiſſe pro no-
ſtra ſalute non confitetur:
fiat, fiat. Maledictus,
qui Filium Dei homi-
nem tantummodo ſolita-
rium, vel purum tantum-
modo confitetur: fiat,
fiat. Maledictus, qui
Deum Dei Filium ſempi-
ternum de aſſumtione ho-
minis nuper hoc princi-
pium ei accedere aſſi-
gnat: fiat, fiat. Ma-
le-

Maledictus, qui unitam
Deitatem in tres has per-
ſonas eſſe non confitetur.
Maledictus, qui adverſus
vigorem Divinae Scri-
pturae hujus, Deum ve-
rum Spiritum Paracli-
tum, Patrem, aut Fili-
um, vel certe ſemper fuiſ-
ſe Filium cum Patre fa-
cturam uſurpat confiteri
debere. Maledictus, qui
Filium Dei hominem
tantummodo purum eſſe
confitetur. Maledictus,
qui Filium Dei Deum
verum, & hominem ve-
rum de Maria Virgine
nuper natum pro noſtra
ſalute non confitetur.
Maledictus, qui Filium
Dei hominem tantum-
modo eſſe confitetur. Ma-
ledictus, qui Jeſum, Fi-
lium Dei ſempiternum
de adſumtione hominis
de nuper hoc principium
ei habere adſignat. Ma-
ledictus, qui Deitatem e-
jus paſſam eſſe confitetur.
Ma-

ledictus, qui Deitatem ejus paſſam eſſe confitetur: (fiat, fiat. Maledictus, qui hominem vere quem adſumſit, paſſum eſſe non confitetur: fiat, fiat. Maledictus, qui huuc totum hominem, ideſt, animam & corpus quod adſumſit, denuo adſumtum vel liberatum, poſt, tertia die a mortuis reſurrexiſſe non confitetur: fiat, fiat.) Maledictus, qui incomparabilem Deitatem Trinitatis proprie ad hominis lineamenta eſſe confitetur, dum ſcriptum inveniamus, quia non ſit illi ſimilis quiſquam Deus in caelo ſurſum, neque in terra deorſum: (fiat, fiat.

(ITEM DE VARIIS GENERIBUS LEPRARUM EST SERMO.)

Vae vobis, qui primam fidem baptiſmi caelitus inſtitutam irritam facitis, & inſtrumenta libertatis ſemel conceſsa per

Maledictus, qui corporalem Deitatem Trinitatis proprie ad hominis lineamenta eſse cõfitetur; dum ſcriptum invenimus, quia non ſit illi quiſquam Deus in caelo ſurſum, & in terra deorſum.

XXV. ITEM DE VARIIS GENERIBUS LEPRARUM.

Vae vobis, qui primam fidem Baptiſmi caelitus ſtatutam irritam facitis; ut inſtrumenta libertatis ſemel conceſsa per iteratio-

per iterationem infirmatis: fiat, fiat. Vae vobis, qui lapſis poenitentibus veniam tribuendam eſse non creditis: fiat, fiat. Vae vobis, qui Patris, & Filii, & Spiritus Sancti unam perſonam defenditis, & non tres, ſecundum ipſa nomina veritatis: fiat, fiat. Vae vobis, qui de hac unita incomparabili plenitudine Divinae Trinitatis extenſionem, vel exciſionem, vel protenſionem aliquam in his eſse profitemini: fiat, fiat. Vae vobis, qui de hac unita plenitudine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti derivationem, & deffluxionem aliquam in his eſse defenditis: fiat, fiat. Vae vobis, qui in unita Divinitate Trinitatis unam praeſcientiam eſse negatis: fiat, fiat. Vae vobis, qui Dei Filium in ipſa praeſcientia qua Pater eſt, eſse negatis, ut diem & horam judi-

di-

tionem infringatis. Vae vobis, qui lapſis poenitentibus veniam tribuendam eſse non creditis. Vae vobis, qui in Patre, & Filio, & Sancto Spiritu unam perſonam eſse defenditis, & non tres ſecundum ipſa nomina veritatis.

dicii quando futurum ſit, eum ignorare dicitis; dum ipſe de ſe prius teſtimonium perhibuerit ad Patrem in CXVIII. Pſalmo, dicens: *Me expectaverunt peccatores ut perderent me, teſtimonia autem tua non intellexerunt. Omnium conſummationem vidi & finem.* Vides ergo non tantum ſuum diem, aut horam judicii ſe ſcire, ſed & omnium ſaeculorum conſummationem poſtea futurorum.) Vae vobis, qui Filium Dei de Maria Virgine nihil aſſumſiſse creditis: fiat, fiat. Vae vobis, qui Filium Dei mediatorem Dei & hominum non confitemini: fiat, fiat. Vae vobis, qui falſos Prophetas, aut falſos Apoſtolos in auctoritatem accipitis: fiat, fiat. Vae vobis, qui gravia peccata admittitis & adverſus auctoritatem Apoſtolorum nuptias ſecundas damnatis: fiat, fiat.

Pſal. 118. verſ. 95.

Vae vobis, qui Filium Dei de Maria Virgine nihil creditis habuiſse.

Vae vobis, qui falſos Prophetas Apoſtolos [6] in auctoritatem accipitis. Vae vobis, [7] qui gravia peccata admittitis, & adverſus auctoritatem apoſtolicam nuptias ſecundas damnatis. Vae vobis, qui peccatum aut mor-

tem

fiat. Vae vobis, qui peccatum aut mortem Dominum homini feciſse adſcribitis: fiat, fiat. Vae vobis, qui hunc mundum a ſemetipſo ſemper coaeternum Deo eſse adſcribitis, aut a Deo factum eſse negatis: fiat, ſiat. Vae vobis, qui mundum ex aliqua ſubjacenti materia factum eſse defenditis: fiat, fiat. Vae vobis, qui non per hunc factorem Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum cuncta quae in caelis ſunt & in terra, ideſt, viſibilia, & inviſibilia facta eſse creditis: ſiat, fiat. Identidem, hinc contra diverſa mortifera venena draconum & aſpidum eſt noſtra congreſſio. Si quis confitetur Angelum apoſtaticum in natura qua factus eſt, non a Deo factum fuiſſe, ſed a ſe eſſe, ut det illi ſempiternum cum Deo principium, anathema illi. Si quis con-

tem Deum homini feciſſe adſcribitis. Vae vobis, qui hunc mundum ſemper fuiſſe adſcribitis, ut a Deo eum factum negetis. Vae vobis, qui mundum ſub aliqua ſubjacente materia factum eſſe defenditis. Vae vobis, qui per hunc factorem, Patrem, & Filium, & Sanctum Spiritum cuncta quae in caelis ſunt & in terra, ideſt viſibilia, & inviſibilia facta eſſe non creditis. Identidem [8] hinc contra diverſa mortifera venena draconum & aſpidum noſtra congreſſio. Si quis confitetur Angelum apoſtaticum in natura qua factus eſt, ab ſe eſſe, ut de ſe principium habere deſignet, anathema illi. Si quis confitetur Angelum apoſtaticum immaculatum a Deo factum fuiſſe, & non dixerit eum per voluntatem ſuam malum concepiſſe, anathema illi. Si quis

confitetur Angelum apoſtaticum in mala natura a Deo factum fuiſſe, & non dixerit eum a ſemetipſo voluntate ſua malum concepiſſe, anathema illi. Si quis confitetur Angelum Satanae mundum feciſſe, quod abſit, & non judicaverit omne peccatum per ipſum adinventum fuiſſe, anathema illi. Si quis confitetur, quod Deus animam hominis tantum fecerit, & Satanas ei corpus plaſmaverit, quod abſit, anathema illi. Si quis confitetur, animas hominum in revolutionem rurſus in mundo, aut in hominibus, aut in pecudibus, aut in ſerpentibus reverti, anathema illi. Si quis confitetur, hominem in anima tantum in die Judicii reſurgere, & non cum corpore, quemadmodum Deus illum fecit, anathema illi. Si quis confitetur Fi-

quis confitetur Angelum Sathanae mundum feciſſe, quod abſit, & non [9] judicaverit omne peccatum per ipſum fuiſſe adinventum, anathema illi. Si quis confitetur, quod animam tantum homini fecerit Deus,& Diabolus ei corpus plaſmavit, quod abſit, anathema illi. Si quis confitetur [10] animas hominum in revolutione rurſus in mundo, in hominibus, aut in pecoribus, vel in ſerpentibus reverti, anathema illi. Si quis confitetur hominem [11] in anima tantum in die judicii reſurgere, & non cum corpore, quemadmodum illum Deus fecit, anathema illi. Si quis confitetur Filium Dei, quaſi phantaſiam, ſic [12] in homine viſum fuiſſe, anathema illi. Si quis confitetur verum hominem, quem adſumſit, non vere manducaſſe, aut bibiſſe,

lium, Dei quaſi phanta-
ſiam, ſic in homine vi-
ſum fuiſse, anathema illi.
Si quis confitetur verum
hominem, quem aſsum-
ſit, non vere manducaſ-
ſe, aut bibiſse, aut lacry-
matum fuiſse, ſanguinem
ſudaſse, & paſsum fuiſ-
ſe, & reſurrexiſse, & in
caelis ad dexteram Patris
conſediſse, anathema il-
li. Si quis confitetur Fi-
lium Dei, ſicut aquam per
fiſtulam, ſic per corpus
Mariae tranſitum feciſse,
aut nihil de ea aſsumſiſ-
ſe affirmet, anathema il-
li. Si quis confitetur ani-
mas hominum de propria
ſubſtantia Dei eſse, quod
abſit, ut nec factas eas
a Deo affirmet, & quod
ſubſtantiam ſuam facere
quis poteſt, anathema il-
li. Si quis confitetur ani-
mas hominum ſemper
cum Deo fuiſse, ut coae-
ternas eas aſſignet, & nec
factas nec fieri eas poſse
dicat, dum ſcriptum ſit:
Qui

aut paſsum fuiſse, & re-
ſurrexiſse, & ad dexte-
ram Patris conſediſse,
anathema illi. Si quis
confitetur Filium Dei ſi-
cut aqua per fiſtulam, ſic
per Corpus Mariae tran-
ſitum, ut illum nihil de
ea habere adfirmet, ana-
thema illi.

Qui fecit quod eſt a foris, fecit & id quod eſt intus, anathema illi. Si quis novum & vetus Teſtamentum blaſphemat, anathema illi. Si quis ſanctos Patriarchas, aut Prophetas, aut Apoſtolos, aut Martyres blaſphemat, anathema illi. Si quis Solem aut Lunam, vel hujuſmodi facturam adorat, anathema illi. Si quis praeter unum Deum verum, ideſt, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, alterum Deum, dum non ſit omnino alter Deus, adorandum crediderit, anathema illi. Si quis de indiviſa immutabilique plenitudine ſempiternae Divinitatis dicit, mutabilis, & convertibilis eſt natura Filii, ut hoc modo deſierit eſſe, quod jampridem fuerat, anathema illi. Dum dicitur mihi, quod multifarie a Patribus in conſpicabili materia viſus

fue-

Luc. 11. 40.

Si quis novum & vetus teſtamentum blaſphemat, anathema illi. Si quis ſanctos Patriarchas, aut Prophetas, aut Apoſtolos blaſphemat, anathema illi. Si quis Solem & Lunam, vel [13] hujuſmodi adorat, anathema illi.

Si quis de [14] indiviſa plenitudine Divinitatis dicit: mutabilis eſt natura Filii, ut homo deſierit eſse, quod jampridem fuerit, anathema illi.

Explicit libellus Sancti Athanaſii contra omnes haereſes

fuerit, ignorans in praeſigurationem operis aſſumti hominis, ſive futuri judicii, haec cuncta in eo praeoſtenſa fuiſſe: & non ſane inviſibilis pura Deitas, ſicut cautum eſt: haec omnia in figura facta ſunt noſtri: ſin vero, reſponde mihi, quia in Angelo viſus eſt, numquid Divinitas ejus proprie Angelica eſt? aut quia in certamine colluctantis ſicut homo palpatus, vel viſus eſt, numquid natura Dei quaſi natura hominis palpabilis, aut viſibilis eſt? Aut quia in rubo ut ignis viſus eſt, numquid ſubſtantia ejus talis eſt? Aut quia frequenter in variis ſpeciebus viſus eſt, numquid ſic & diverſas, permixtas, ſive concretas naturas in ſemetipſo continet? Dum unita Deitas indiſcreta ſit, inviſibilis ejuſque majeſtas. Itaque intellige cum in Angelo viſus eſt,

nun-

nuntius Patris praeoſtenſus eſt. Sive in homine, quia de Maria Virgine nuper natus eſt, vel in igne utique, quia judicium ex eo futurum eſt, dum ſcriptum ſit, *quia magni conſilii Angelus eſt.* Et in homine mediator Emmanuel natus ſit, & in igne, quaſi conflator auri, & argenti, ut cordium juſtorum probator ſit. Quamquam & in his ſpeciebus aſſumtis, quomodo voluit, viſus ſit, tamen in Deitate idem ipſe inviſibilis eſt, qualis ſemper apud Patrem fuit & eſt. Procul dubio haec cuncta tunc Deus in figuram hominis operabatur, quia opus futuri in eo jam praeoſtendebatur, quod ipſe abſolvit dicens: *Si mihi non creditis, vel operibus credite, quia ego in Patre, & Pater in me eſt.* Nonne mirabilia Deus praeſens operabatur, & opera

Eſai. 9. 5.

Joan. 10. 38.

ra ſua per hominem facta agnoſcebantur? (Et non tamen Deitas in eo videbatur, ſicut dixit: *Qui me vidit, vidit & Patrem meum.* Vides quia Deum, ut eſt pure, nemo vidit unquam, haeretice. Itaque ſi quae haereſes ſunt quae nos latent, ſed & quae futurae ſunt; quae adverſus fidem regulae Evangelicae, & Eccleſiae Catholicae ſunt futurae, anathema habeantur. Si quis contra traditionem canonis haereticorum apocrypha, quae Eccleſia Catholica omnino non recipit ſuper haec praeponere vel defendere voluerit, anathema ſit, fiat, fiat.)

ERRATA CODICIS.

1 Codex, *in unitam.*
2 Codex, *ea ponere.*
3 Codex, *quaerere.*
4 Codex, *oritum.*
5 Codex, *unitatem.*
6 Codex, *in auctoritate.*
7 Codex, *quia.*
8 Codex, *hanc.*
9 Codex, *indicaverit.*
10 Codex, *anima.*
11 Codex, *in animam.*
12 Codex, *in hominem.*
13 Codex, *hujus mundi.*
14 Codex, *invisa.*

SYMBOLUM
NICAENUM

Ex eodem Codice Veronenſi.

INCIPIT FIDEI Expoſitio Concilii quod factum eſt apud Nicaeam Metropolim Bythiniae Paulino & Juliano Conſulibus XIII. Kalendas Julias, quod apud Graecos XVIIII. dies menſis * eorum ΔΕΣΙΕΙ Deſii, anno Alexandri ſexcenteſimo * trigeſimo ſexto.

Anno 325.

pro ΔΕΣΙΟΥ *codex, ſeſſeſeſ. centeſimo* XXXVI.

[1] Credimus in unum Deum Patrem omnipoten-

[1] Harduinus edidit geminam fidei Nicaenae Expoſitionem, alteram ex Manuſcripto libro Colbertinae Bibl. & ex Bibl. Pariſ. Societatis Jeſu Manuſcripto codice alteram; ſed cum in nonnullis ab inſerta in noſtrum Veron. codicem varient, operae praetium duximus hanc etiam publici juris facere. Qui lectiones diſcrepantes conferre velit, adeat Tomum II. Venetae Conciliorum editionis pag. 30. & 31. ubi una cum Labbeana Conſtitutione & Fide Nicaeni Concilii exhibentur. Item conſulat To. V. pag. 1210. ubi exſtat ea fidei formula in Calchedonenſi Synodo Actione ſecunda ab Eunomio recitata, quae magis noſtrae adhaeret, ſi cum Baluzii notis expendatur.

tentem, omnium viſibilium & inviſibilium conditorem. Et in unum Jeſum Chriſtum, Filium Dei, natum de Patre unigenitum, hoc eſt, de ſubſtantia Patris; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; natum non factum, ſed conſubſtantivum Patri, ideſt unius ſubſtantiae cum Patre, (quod Graeci omouſion dicunt) per quem omnia facta ſunt, quae in caelis, & quae in terra. Qui propter nos homines, & noſtram ſalutem deſcendit, incarnatus; atque homo factus, paſſus, mortuus eſt; reſurrexit tertia die; aſcendit in caelos, venturus judicare vivos & mortuos. Et in Sancto Spiritu. Eos autem qui dicunt: erat quando non erat, & antequam naſceretur, non erat, & quod nullis exſtantibus factus eſt: vel aliquam ſubſtantiam, vel naturam eum dicentes eſſe, mutabilem & convertibilem Filium Dei perhibendo; anathematizat & condemnat Catholica & Apoſtolica Eccleſia.

SYMMACHI
PAPAE VITA
IN NUPERA
ANASTASII BIBLIOTHECARII

Editione Romana ex parte tantum in lucem prolata; nunc vero ex iiſdem membranis integre publici juris facta, atque recognita.

Digitized by Google

FRagmentum hujus vitae primum editum eſt a Praeſule Franciſco Blanchino Patruo meo amantiſſimo in Notis ad Anaſtaſium Bibliothecarium Tomo III pag. 209. Quoniam vero mihi bono fato contigit reliquas etiam membranas adinvenire, quae a Veronenſi codice abraſae jamdudum in pluteis delituerant; nunc integrum Symmachi monumentum ſumma fide exhibendum putavi, addendo ad limbum pagellarum lineolas ex quibus, quid jam excuſum, quidque de novo prolatum ſit, liceat cuique cognoſcere. Praefationis loco Notam Hiſtoricam laudati Auctoris adjeci, quam ipſe ad Vitam Sancti Anaſtaſii II linea 4 elucubratus eſt, ut locus requirebat. Ei id non praeſtare ingrati animi vitio verteretur; ac ego furto proximum crimen arbitrarer quaſdam tantummodo adnotationes ex illius commentariis ſeligere, atque celato nomine eas in mea ſcripta transferre. Igitur linea 4 loci jam commemorati ad ea verba: *Eodem tempore multi Clerici* &c. & lin. 8: *& quia voluit* „ *occulte revocare Acacium*: haec habet: Recte obſervant ad „ hunc Bibliothecarii locum tum doctiſſimi Cardinales Ba- „ ronius & Bellarminus, tum Dominus Archiepiſcopus Som- „ mier eoſdem ſecutus in Notis infra recenſendis, hujuſmo- „ di memorias a ſchiſmaticorum factione confictas fuiſſe ſub „ proximo Pontificatu Beati Symmachi, cum pluribus de „ utroque Pontifice falſis rumoribus, in vulgus ſparſis ope- „ ra Feſti Patricii aliorumque Laurentio Antipapae ſtuden- „ tium: quas cum in literas retuliſſent, ut Anaſtaſio Prin- „ cipi, Zenonis Henoticon ab Anaſtaſio Papa & a Symma- „ cho non ſubſcribi aegre ferenti, fucum facerent, ejuſque „ animum vehementius incenderent contra legitimos & San- „ ctos Pontifices, quaſi factioſos, ac turbulentos, & crimi- „ num inſimulatos. De Anaſtaſio praepropere defuncto mi- „ tiorem fabellam contexere ſibi viſi ſunt, cum illius pro- „ penſionem confingerent ad connivendum recitationi nomi- „ nis Acacii, & admiſſioni Photini Theſſalonicenſis ejuſdem „ fautoris. Hujuſmodi ſcripta a factione Laurentii manda- „ ta literis ita ſunt pervulgata, ut ad poſteras aetates non- „ nulla illorum fragmenta pervenerint, adeoque ad aequa-

„ les illi Bibliothecario, qui iequiori ſaeculo hanc vitam A-
„ naſtaſii & proximam Symmachi indiſcrete colligens, fi-
„ dem accomodavit confictis de utroque fabulis, eaſque in-
„ termiſcuit documentis veracibus ceterorum ab ipſis geſto-
„ rum. Quod Cardinales Baronius ac Bellarminus, aliique
„ recentiores invictis rationibus probant, id etiam confir-
„ mant reperta ſchiſmaticorum illorum fragmenta, quae
„ antiquiſſimo caractere exarata oſtendunt aetatem Anaſta-
„ ſio Bibliothecario antiquiorem; & proinde nobis manife-
„ ſtant credulitatem collectoris vitarum non caruiſſe qui-
„ dem monumentis ab aetate Symmachi proximis, ſed ca-
„ ruiſſe criterio neceſſario ad ſecernendas ſchiſmaticorum
„ technas & calumnias a veris narrationibus Catholicorum.
„ Placet hic attexere fragmentum ſuperſtes in quaternione
„ membranaceo antiquiſſimi characteris, ante annos mille,
„ ut videtur, ſcripto, & compacto una cum libro Sancti
„ Hieronymi de Scriptoribus Eccleſiaſticis, aliiſque opuſ-
„ culis, inter quae ſunt Epiſtolae Summorum Pontificum,
„ Simplicii, Felicis, Gelaſii, &c. ſervato in Archivo Ca-
„ thedralis Eccleſiae Veronenſis, uno ſcilicet ex codicibus
„ ante annos octingentos collectis a Pacifico Archidiacono,
„ ut alibi memoravi notato num. xxv. Stylus libri exprimit
„ aetatem Symmachi; de quo iſta confingit auctor illius
„ fragmenti, praemiſſis de Anaſtaſii Papae falſo jactata con-
„ niventia fortaſſe literis per ſchiſmaticos confectis, ut haec
„ pauca ad illum referenda videntur indicare.

„ *Imperatorem Anaſtaſium directa per Creſconium &*
„ *Germanum Epiſcopos, quae tanta Scripturarum caeleſtium*
„ *auctoritate ſuffulta eſt, ut qui hanc intenta mente ſub*
„ *Divino timore perlegerit, inaniter hactenus inter Eccle-*
„ *ſias Orientis & Italiae tam ſchiſma nefarium perdurare co-*
„ *gnoſcit.*

„ Sequitur deinde in eo quaternione vita Symmachi, ita
„ fraudulenter contexta ſtylo ejuſdem aetatis.,, LII; *Sym-*
„ *machus ſedit annos quindecem, menſes ſeptem, dies viginti &*
„ *ſeptem. &c.* uſque ad ..... *actionem Regis animus delinitus*
„ *Patritio F* ...... dein ita proſequitur.

„ Hic

„ Hic explicit fragmentum quaternionis aſſutum membra-
„ naceo codici, antiquitatis indubitatae titulo plurimi profe-
„ cto faciendum, ſi ad illum uſum adhibeatur, ad quem pu-
„ tandum eſt a perito aliquo ac ſtudioſo Hiſtoriae Eccle-
„ ſiaſticae fuiſſe comparatum. Licet enim cognoſcatur frag-
„ mentum eſſe pernicioſi alicujus ſcripti, ab aliquo gregali
„ factionis Laurentii contra Symmachum elaborati, et qui-
„ dem ſtylo dictionis per illa tempora non inelegantis, ita
„ ut fetus videatur hominis non vulgaris a Feſto Patricio,
„ ſive ab alio quopiam non infimae ſortis viro adhibiti ad
„ captandam auram ejuſdem factionis ſchiſmaticorum, &
„ Principis, ejuſque Conjugis, per diſpendia famae, & au-
„ ctoritatis Pontificiae, dum Symmacho affingit ſcelera,
„ & Deceſſori illius Anaſtaſio Papae non obſcure attribuit
„ propenſionem ad connivendum Acacianis ſuper recitatio-
„ ne illius nominis, quaſi id foret remedium innocens, &
„ opportunum ad ſchiſma Orientalium cum Eccleſia Latina
„ de medio tollendum, & plura congerat falſa & execrabi-
„ lia de judiciis contra caput Eccleſiae Dei intentatis ac in-
„ tentandis; licet (inquam) fragmentum iſtud cognoſcatur
„ eſſe portio pernicioſa ſcripti antiquiſſimi; potuit attamen
„ utiliter colligi & inſeri a ſtudioſo Hiſtoriae Eccleſiaſticae, &
„ Pontificiae auctoritatis, & immunitatis, una cum literis
„ Sanctorum Pontificum Simplicii, Felicis, & Anaſtaſii ad
„ Acacium, hujuſque reſponſis in eodem codice compactis.
„ Nam fuerant producenda genuina haec documenta adver-
„ ſariorum fraudis, & maledicti, & impoſturae ei qui vel-
„ let has ipſas impoſturas, fraudes, & maledicta refellere
„ per alia ſcripta genuina Summorum Pontificum & Con-
„ ciliorum, rei geſtae veritatem ac jura demonſtrantium:
„ quemadmodum & in Conciliis Oecumenicis producta
„ fuerunt ſcripta haereticorum, quorum de damnandis bla-
„ ſphemiis agebatur. Utiliter igitur collecta fuerant viru-
„ lenta illa ſcripta, & compacta cum ſuis antidotis, ne ſo-
„ litaria ſi legerentur, imperitiorum animos offuſcarent.

„ Sed cum injuria temporum, & incuria poſterorum, ut
„ fit, veteres hujuſmodi chartae negligentius habitae, fuiſ-

„ ſent diſperſae, ita ut integritate codicis abſumpta, qua-
„ ternio forte fortuna ſuperſtes oſtenderet mutila illa ſchiſ-
„ maticorum ſcripti fragmenta, quae ſimilitudinem cata-
„ logi Pontificalis referunt, longe aliter adhiberi potuerunt
„ ab imperito aliquo Scriptore aut collectore ſequioris aeta-
„ tis. Is temere compacta cum videret una cum libris pro-
„ batiſſimis beati Hieronymi, & Gennadii, nec non cum E-
„ piſtolis Sanctorum Pontificum Simplicii, Felicis, & Ana-
„ ſtaſii ibidem praeſervatis, indicata fragmenta Catalogi an-
„ tiquitus ſcripta citra examen auctoris ibi profecto non ap-
„ parentis, & citra collationem cum aliis genuinis documen-
„ tis temporum, quae veritatis Hiſtoricae criterium depo-
„ ſcit, inconſiderate ſuſcepiſſe potuit tamquam autentica
„ monumenta aequalis ſcriptoris: & ex hujuſmodi inqui-
„ nato fonte in libri Pontificalis textus easdem calumnias,
„ & falſariorum fabulas derivare: quae negotium ſubinde
„ faceſſerent etiam politiori aetati ad eaſdem ſecernendas
„ ab Hiſtorica veritate.
„ Non abs re duxi occaſione diſſidii Literatos inter ſubor-
„ ti ſuper geſtis Anaſtaſii quam captant ſcriptores aetatis
„ noſtrae in Notis D. Arch. Sommier memorati, & ab eo-
„ dem validis rationibus refutati, indicare fontem mendo-
„ ſae illius ſcaturiginis, unde rivulum derivavit, is qui vi-
„ tae Anaſtaſii II. incongruam periochen inſeruit de pro-
„ penſione connivendi ſuper recitatione nominis Acacii.
„ Tum illa periocha, tum ſimiles quae aliquando interſperſae
„ leguntur textui Bibliothecarii potuerunt inconſiderate tran-
„ ſcribi ex fragmentis codicum vetuſtiſſimorum (cujuſmo-
„ di eſt hic Veronenſis, quem attulimus) per illas praeſer-
„ tim aetates, quae laborabant barbarie in bonas artes in-
„ vecta, & infrequentia peritorum, qui poſſent mutilas hu-
„ juſmodi chartas, titulo & auctore carentes cum veracium
„ Scriptorum monumentis conferre, & probe dignoſcere,
„ num a cordatis viris, ac ſtudio partium non laborantibus,
„ an potius a factioſis, & malae cauſae promovendae ad-
„ dictis eſſent perſcriptae. Inſpectio illius codicis ita com-
„ pacti abunde nos edocet, inquirendas eſſe origines notio-

„ num

„ num a Biographis Anaſtaſianis adhibitarum, non idcirco
„ quod diffidamus ab antiquis documentis illas fuiſſe deſum-
„ ptas, ſed quod jure dubitandum ſit, incaute per illos
„ collectas fuiſſe ex fragmentis hujuſmodi calumniatorum
„ conſutis temere cum opuſculis Patrum, & a peritioribus
„ antea perquiſitis, ut retundi poſſent totidem verbis ex-
„ preſſae, quales ab oppoſitoribus enunciabantur.

„ Abundat aetas Gelaſii ejuſmodi ſicophantiis ſubleſtae
„ fidei ab haereticis, & ſchiſmaticis paſſim cumulatis; ita
„ ut neceſſarium duxerit indicto Concilio cenſum librorum
„ probatorum perficere, & ab Apocryphis ac vitiatis ger-
„ mana, integra, & approbata ſcripta ſecernere. In tanta
„ igitur copia lucubrationum vitioſae originis, quae diſſe-
„ minabatur temporibus Gelaſii, Anaſtaſii, & proximo-
„ rum Pontificum, a perduellibus Fidei noſtrae occaſione
„ haereſum & ſchiſmatum ſubortorum, mirum non eſt, ſi
„ aliquando dormitaverint collectores minus idonei aetatum
„ ſequiorum, & ex fragmentis veteribus indiſcriminatim
„ corraſis ex miſcella partium inter ſe litigantium, temere
„ aſſumpſerint aliquando hoſtiles calumnias mira fallendi
„ arte in ſtylum Hiſtoricum deformatas, ubi ſubſtituendae
„ fuerant narrationes notae veritatis ſcriptorum, eaſdem
„ calumnias ſubvertentium rationum pondere, & auctori-
„ tate ſui teſtimonii.

Sym-

,, LII. SYmmachus ſedit annos quindecim,
,, menſes ſeptem, dies viginti & ſeptem:
,, Cum hoc autem fuerat Laurentius
,, Romanae Eccleſiae presbyter ordinatus Epiſco-
,, pus; tantaque Clerum, ac Populum Romanum
,, diſcordia feralis invaſerat, ut nec Divina con-
,, ſideratio, nec metus Regius partes a propria
,, conliſione cohiberet. Tunc coguntur utrique;
,, Symmachus ſcilicet, & Laurentius, Regium
,, ſubituri judicium, petere comitatum. Ibi Sym-
,, machus multis pecuniis obtinet: Laurentius ad
,, gubernandam Eccleſiam Nucerinam, Campa-
,, niae Civitatem, plurimis coactus minis promiſ-
,, ſionibuſque dirigitur. Poſt aliquot autem annos
,, pro multis criminibus apud Regem Symmachus
,, accuſatur, quem Rex ſub occaſione Paſchali,
,, quod non cum univerſitate celebraverat, ad co-
,, mitatum convo........ rationem .... feſtivi-
,, tatis diſſonantia redditurum; fecitque apud Ari-
,, minum reſedere: cumque ibidem cum ſuis Cle-
Codex promeridianis. ,, ricis aliquantis permoratur, poſtmeridianis ho-
,, ris ſuper litus maris ambulans, vidit mulieres in-
,, de tranſire, cum quibus accuſabatur in ſcelere,
,, quae comitatum petebant, Regia juſſione. Diſ-
,, ſimulans ergo ſe ſcire, quod viderat, nocte me-
,, dia, dormientibus cunctis, cum uno tantum con-
,, ſcio fugiens, regreditur Romam, ſeque intra
,, beati Petri Apoſtoli ſepta concludit. Tunc Preſ-
,, byteri, & Diaconi, nec non reliqui Clericorum,
,, quos ſecum deduxerat, adeunt Regem, & ſine
,, ſua conſcientia Symmachum fugiſſe teſtantur,

,, per

„ per quos Rex tam ad Senatum, quam ad Clerum, praecepta ſuper ejus quodammodo damnatione tranſmittit. Accuſatur etiam ab univerſo Clero Romano, quod contra decretum a ſuis Deceſſoribus obſervatum Eccleſiaſtica dilapidaſſet praedia, & per hoc anathematis ſe vinculis irretiſſet: pro diebus autem Paſchalibus ab omnibus poene vir venerabilis Petrus Altinatis Epiſcopus a Rege viſitator Eccleſiae Romanae depoſcitur, & poſt ſanctam feſtivitatem, Synodus in urbem Romam pro voluntate Senatus, & Cleri, jubente Rege, de ejus exceſſibus judicatura convenit. Atque id agitur a nonnullis Epiſcopis & Senatoribus ne ... l ... m Symmac ..... audientiae ſubderetur. Hoc palam pro ejus defenſione clamantibus, quod a nullo poſſit Romanus Pontifex, etiam ſi talis ſit, qualis accuſatur, audiri; ſed electiores Antiſtites, tam pro Religionis intuitu, quam pro Regia juſſione cenſebant tantae rei negotium poene ubique vulgatum ſine examine nullatenus deſerendum. Cumque Synodus ſub hac diſſonantia, plus inter partes miniſtraret fomenta diſcordiae; tandem conſtituit ut libellus, quem offerebant Accuſatores Symmachi, ſuſceptus inter geſta ſolemniter panderetur. Quo facto mox per Epiſcopos idem Symmachus, ut occurrat ad judicium, convenitur. Sed cum per Clericos, qui ei obſervabant, fuiſset ejus negata praeſentia; iterum, & tertio ſecundum regulas, ut ad Synodalem conveniat audientiam per Antiſtites admonetur;

„ nul-

„ nullumque dignatus eſt dare reſponſum . Tunc
„ aliquanti Epiſcopi videntes nihil ſe in cauſa pro-
„ ficere, Clerum, qui diſceſserat a conſortio Sym-
„ machi, ſemel & iterum commonent, ut ad eum
„ praetermiſso revertatur examine . Qui ſe ne-
„ quaquam hoc facere poſſe reſpondit , prius
„ quam tantis criminibus impetitus, diſcuſſione
„ regulari vel abſolvatur, ſi innocens fuerit, vel,
„ ſi reus exſtiterit, a Sacerdotio deponatur . Sed
„ moras Epiſcopi n........ ntis cum viderent ma-
„ gis ac magis ſtudia diviſionis augeri, quae ſibi
„ utilia viſa ſunt pro Symmachi perſona conſtitu-
„ unt; & ſic Urbem in ſumma confuſione derelin-
„ quunt. Clerus ergo, & Senatus electior, qui
„ conſortium vitaverat Symmachi, petitionem Re-
„ gi pro perſona Laurentii dirigit, qui eo tempo-
„ re Ravennae morabatur, Symmachi violentiam,
„ perſecutionemque declinans, ut ipſe Romanae
„ praeſederet Eccleſiae , ubi dudum fuerat ſum-
„ mus Pontifex ordinatus. Quia hoc & Canonibus
„ eſſet adfixum, ut unuſquiſque illic permaneat,
„ ubi primitus eſt conſecratus Antiſtes ; vel
„ ſi quibuſdam commentis exinde remotus fuerit,
„ eum modis omnibus eſſe revocandum. Sic Lau-
„ rentius ad Urbem veniens, per annos circiter
„ quattuor Romanam tenuit Eccleſiam, per quae
„ tempora, quae bella Civilia geſta ſint , vel
„ quanta homicidia perpetrata, non eſt praeſenti
„ relatione pandendum. Dumque partes mutua ſe
„ diſsenſione collidunt, ac pro ſuis ſtudiis Rega-
„ le praeſidium ſaepe depoſcunt, ad ultimum pe-

„ ti-

„ titionem Symmachus Regi per Dioſcorum Alexandrinum Diaconum deſtinavit, adſerens magnum ſibi praejudicium fieri, & maxime de Titulis Eccleſiarum, quos intra Urbem Laurentius obtinebat. Ad hanc inſinuationem Regis animus delinitus Patricio F... praecepta dirigit, admonens, ut omnes Eccleſiae Tituli Symmacho reformentur, & unum Romae pateretur eſſe Pontificem: quod ubi Laurentius comperit, Urbem noluit diuturna conluctatione vexari, ac ſua ſponte in praediis memorati Patricii Feſti ſine dilatione conceſſit; ibique ſub ingenti abſtinentia terminum vitae ſortitus eſt. Symmachum vero poſtmodum, quamvis victorem, de multis rebus fama decoloravit; obſcenior, & maxime de illa, quam vulgo conditariam vocitabant. Nec non & de ordinibus Eccleſiaſticis, quos acceptis palam pecuniis diſtrahebat: pro quibus rebus uſque ad finem vitae ejus Eccleſia Romana in Schiſmate perduravit. Hic Beati Martini Eccleſiam juxta Sanctum Silveſtrem Palatini Illuſtris viri pecuniis fabricans, & exornans, eo ipſo inſtante dedicavit: nonnulla etiam Coemeteria, & maxime Sancti Pancratii renovans, plura illic nova quoque conſtruxit.

Cod. mendoſe delatione.

Codex Cymeteria.

LIII. Hormiſda ſedit annos novem, dies decem & ſeptem.

LIIII. Joannes ſedit annos duo, menſes novem, dies XVI.

LV. Felix ſedit annos quattuor, menſes duo, dies XII.

LVI. Bonifatius ſedit annos duo, dies viginti & ſex.

LVII.

LVII. Joannes ſedit annos duo, menſes quattuor, dies ſex.

LVIII. Agapitus ſedit menſes undecim, dies octo.

LVIIII. Silverius ſedit menſes novem.

LX. Vigilius ſedit annos decem & octo, menſes duo, dies novem. Moritur in Syracuſis ſecunda feria, nocte ſeptimo, Idus Junias, Indictione tertia.

Hinc liquet hunce Catalogum ſcriptum an. 540.

FINIS.

ERRATA.	CORRIGE.
Pag. 3. lin. 25. Vigilii	Athanaſii Alexandrini

1